S. THOMÆ

DE REGIMINE PRINCIPUM DOCTRINA

THESIM

PROPONEBAT LUGDUNENSI LITTERARUM FACULTATI

Franciscus BOULAS

IN EADEM FACULTATE LICENTIATUS

ET IN COLLEGIO TOSSIACENSI PHILOSOPHIÆ PROFESSOR

BARRI-DUCIS

EX TYPIS CONTANT-LAGUERRE

M D CCC LXXX

THE INSTITUTE OF PAPYROLOGY
UNIVERSITY OF TORONTO
TORONTO 5, CANADA

FEB 21 1933

55GG

IMPRIMERIE
CONTANT-LAGUERRE

BAR-LE-DUC

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

D.D.

PETRO-JOANNI-JOSEPH SOUBIRANNE

EPISCOPO BELLICENSI

OPUSCULUM ILLUD

Pii gratique testimonium animi

D.D.D.

SUAVI MEMORIÆ

MATRIS AMATISSIMÆ,

DESIDERATISSIMÆ.

AMICISQUE DILECTISSIMIS.

BQ
6857
835

S. THOMÆ

DE REGIMINE PRINCIPUM DOCTRINA.

PROŒMIUM.

Cogitanti mihi quænam, durante media ætate, de re politica vigeret doctrina, in mentem venit, ut opera S. Thomæ evolverem, quippe qui virtute simul et ingenio emineret inter philosophos hujusce temporis præstantissimos, maximaque polleret auctoritate. Quum autem in opusculo *De regimine Principum* inscripto, breviter et quasi in compendio contractum fuit, quid de principatu sentiret scriptor ille clarissimus, in studium ejusdem libri libet accuratius incumbere. Ibi enim doctrinam reperire est, quæ apud gentes christianas ab omnibus in media ætate proferebatur; duce igitur S. Thoma, eodem-

que, ut aiebant medii ævi scriptores, magistro, quid de potestatis origine et fine, de variis principatus modis, de principum virtutibus, de tyrannide, ceterisque rebus nostrum ad propositum attinentibus illi philosophi professi fuerint, arbitror exponendum. In singulis autem hujusce disputationis partibus juvabit explicare quænam Aristotelis redoleant doctrinam, cujus operibus tanta diligentia ipse fatetur indulgere, ut *Philosophi* verba sæpius referat, ejusque sententias explanet interpretatione, imo quasi suas nonnunquam exprimat, quænam insuper ipse celeberrimus Ecclesiæ doctor emendanda susceperit vel prorsus mutanda.

Præterea, cum opusculo S. Thomæ librum Ægidii romani *De regimine Principum* operæ pretium erit conferre, ut apertius recenseatur quid ex magistro sumpserit discipulus. Brevior etiam de S. Thoma atque Bossuetio instituetur dissertatio; inde forsan perspicuum erit quanto studio episcopus noster clarissimus S. Doctoris institerit vestigiis, qualique media ætas et sæculum decimum septimum de principatu discreparent discrimine.

Postremo, paucis commemorare in animo est, (ne in disputationem historicam trahar longiorem), illud temperatum regimen, quod a S. Thoma celebratur optimum, plerisque in regionibus Europæ, durante medio ævo, exstitisse.

Priusquam autem opus aggrediar, quædam censeo præmittenda, quibus constabit opusculum *De regimine Principum* a duobus scriptoribus fuisse confectum, to-

tam tamen hujus libri doctrinam S. Thomæ esse propriam. Quapropter, sententiæ potissimum ex hoc opusculo, deinde, si res postulat, ex aliis ejusdem philosophi operibus expromptæ proferentur, ut clarius pateat non modo quid Doctor Angelicus de principatu sentiret, sed etiam quid ea de re gentes christianæ in media ætate profiterentur.

CAPUT I.

De illo S. Thomæ opusculo, quod De regimine Principum inscribitur, disputatio.

Opusculum illud notissimum, quod *De regimine Principum* inscribitur, nihil aliud est nisi quædam de doctrina politica dissertatio. In eo enim reperias expromptum et quasi in ordine evolutum, quid de principatu auctor senserit. Quisnam autem sit ille auctor? Varias ea de re accipimus exortas fuisse sententias; sed plerique scriptores, qui hunc librum commemorant, in eo consentiunt, ut illum S. Thomæ Aquinati adjudicent.

Quæstio tamen non ea est, quæ in nullam incurrat difficultatem; multa in medium solent afferri, de quibus longior esset instituenda disputatio.

Cuilibet enim opusculum *De regimine Principum,* quod quatuor constat libris, vel incuriosius perpendenti manifestum est duos priores libros de duobus posterioribus plurimum discrepare. In prioribus enim nullum ex Sacris Codicibus sumptum thema velut proœmium rationibus

præmittitur postea evolvendis; argumenta pleraque ex historia sacra proferuntur, perpauca autem ex profanis scriptoribus; postremo, liber secundus ita absolutus est, ut nihil principi præcipiendum videatur superesse, nam is est illius opusculi finis : « Hæc igitur de pertinentibus « ad regimen cujuscumque dominii, sed præcipue rega- « lis, in hoc libro in tantum sint dicta. » Quisnam negare posset illud opus fuisse confectum, quum ne minima quidem, ne dicam nulla librum secundum inter et tertium adsit connexio, tertiusque nequaquam a secundo pendeat, nec eumdem videatur explere.

Quin etiam, quædam in tertio quartoque libro legere est, quæ, mortuo S. Thoma, acciderunt. Ab ipso enim auctore (1) narratur Rodolphum imperatorem, qui sub finem anni MCCLXXIII fuerat electus, anno MCCXCI occubuisse, Adolphumque de Anaxone comitem, qui anno MCCXCII regnum adeptus erat, ab Alberto duce Austriæ anno MCCXCVIII fuisse occisum; et nemo est qui nesciat S. Thomam, ineunte anno MCCLXXIV, mortem obiisse.

Præterea illud opusculum, ut testantur historici, ad annum MCCLXX referendum est; idcirco verisimile nullatenus videtur hunc librum non fuisse a S. Thoma perfectum, quippe qui anno tantum MCCLXXIV occubuerit et hucusque labori non desierit indulgere.

Tandem, neminem fugit quanto discrimine S. Thomas ab auctore hujusce opusculi differat; alter enim non excellit modo rerum serie, sed verborum etiam perspicuitate, optimo argumentorum ordine, et ratione disserendi præcipua; alter vero tractanda quædam solet negligere, a proposito sæpius digredi, eadem iterum

(1) *De reg. Pr.*, lib. III, cap. xx.

evolvere, imo ambigua adeo atque obscura suis commiscere argumentis, ut hunc librum, si judici doctissimo (1) fidem adhibere liceat, S. Thomæ haud libenter tribuere debeamus.

Quid autem plura? Argumenta quædam in animo est evolvere minime contemnenda, ex quibus forsan multo conjectura probabiliorem licebit inferre sententiam.

Quoad longissime potest mens mea respicere ipsam S. Thomæ ætatem, operaque perpendere, in quibus ea de re aliquid fuit commemoratum, inde usque repetens, illud opusculum *De regimine Principum* Doctori clarissimo a plerisque scriptoribus video adscriptum; quorum præcipua juvat afferre testimonia.

In sua Ecclesiæ historia, Tholomæus Lucensis, qui discipulus exstitit S. Thomæ frequentissimus, indice operum eidem adscriptorum constituto, ait : « Item tractatus *De regimine Principum, qui sic incipit : Cogitanti mihi quid offerrem*, etc.; *quem librum scripsit ad regem Cypri* (2). » Bernardus Guidonis (3) ejusdem libri hanc mentionem facit : « *Tractatus de regimine Principum, ad regem Cypri, qui incipit : Cogitanti mihi quid offerrem regiæ celsitudini dignum.* » Quid plura? Apud Joannem de Columna (4), Nicolaum Trivetum (5), Valleoletanum (6), Pignonum (7), S. Antoninum (8), Bar-

(1) Charles Jourdain, *la Philosophie de S. Thomas*, t. I, p. 141 et suiv.

(2) Tholomæus Lucensis. *Hist. eccl.*, lib. XXIII, cap. XIII.

(3) Bernardus Guidonis (1260-1331).

(4) Joannes de Columna mortuus est anno 1290.

(5) N. Trivetus (1258-1324).

(6) Ludovicus Valleoletanus mortuus est anno 1436.

(7) Laurentius Pignonus mortuus est anno 1446.

(8) S. Antoninus (1389-1459).

tholomæum Logothetam (1), aliosque Ordinis Prædicatorum scriptores eadem legere est (2). Quibus testimoniis illud etiam accedit, quod nullum reperias vel antiquissimum hujusce opusculi chirographum, qui ipso S. Thomæ nomine non decoretur.

Si res ita se habet, fatendum est illud S. Thomæ opusculum adeo fuisse mutatum, ut duo posteriores libri a prioribus omnino discrepent, atque supervacanei videantur. Quisnam autem sit ille auctor, qui hunc Doctoris præclarissimi librum non dubitaverit interpolare, et, suo nomine celato, ejusdem opusculi obesse auctoritati?

Plura etiam de ea quæstione in promptu habemus monumenta, quibus duos hujus opusculi libros posteriores a coætaneis scriptoribus Ptolomæo vel Tholomæo Lucensi statuitur adscribendos.

Opusculo *De regimine Principum* accuratius excusso, Joannes de Columna ex Prædicatoribus gravis scriptor, duos posteriores libros arbitratur, ut par est, S. Thomæ nequaquam esse tribuendos : « *Opus de regimine Principum S. Thomas minime complevit;* » sed de ipso partis posterioris auctore silet. Paulus Frigerius, sodalis Oratorii romani præclarus, qui vitam S. Doctoris italico sermone curavit scribendam, illa addit notanda, quæ iisdem verbis referimus :

« L'opuscolo *De regimine Principum* in quattro libri compilato, fu condotto da Tommaso fino al quarto capitolo del secundo libro, cioè in fino a quelle parole : (opportunum est igitur in conversatione humana modi-

(1) Barth. Logotheta (cognomine de Martyribus) (1514-1590).

(2) *Opera S. Thomæ* (Edit. Venet. 1787, t. XIX). Admonitio prævia Bernardi Mariæ de Rubeis.

cum delectationis pro condimento habere, ut animus hominis recreetur.) Ed il rimanente fu seguitato da Tolomeo Lucchese del medesimo ordine, discepolo del Sancto : come chiaramente apparisce da un antico manoscritto dé medesimi opuscoli vulgarizzati. Ove sopra le allegate parole del 4° capitolo del 2° libro leggesi nella margine così notato : qui finisce secundo il Beato Tommaso (1). »

Idem Frigerius, postquam de illo libro finem fecit sermonis, In calce totius operis suum his verbis confirmat judicium : « Qui comple il quarto libro del re e del regno cominciato dal venerabile Dottore S. Tommaso d'Aquino, poscia compiuto da Frà Tolomeo da Lucca del medesimo ordine, che fù vescovo di Torcello (2). »

Præterea Colbertinus Codex, ait Echardus, eleganti charactere Gothico quidem, sed ita nitido scriptus, ut typis expressi non sint accuratiores, idem opus exhibet italice versum. Sic habet titulus : Quî comincia il prologo di frate Tommaso d'Aquino, maestro sovrano dell' Ordine dei frati Prædicatori sopra el libro dello regimento dei reami....., etc. Is hujusce opusculi finis : « Ma bisogno è nella conversatione humana....., etc. (3). »

Idem apertissime testantur Codices manuscripti, quos hic et illic reperias : Codex scilicet Parisiensis Genovesianus, Codex Victorinus, et Codex in Bibliotheca SS. Joannis et Pauli apud Venetos servatus. Eidem opinioni favet Codex Florentinus Medicæus, cui titulus : « Liber

(1) *Vita S. Thomæ*. Veteri sermone italico scripta, lib. I, cap. x, num. 7, Romæ edita 1668.

(2) *Scriptores Ordinis Prædicat.*, t. I, p. 336.

(3) Echardus. Art. S. Thomas et Tholomæus Lucensis. Eadem verba apud S. Thomam leguntur, lib. II, cap. IV in medio.

de rege et regno, inceptus a Ven. doctore S. Thoma de Aquino Ord. Præd., postea completus a F. Ptolomæa de Lucha ejusdem Ordinis, qui tandem fuit episcopus Torcellanus. »

Ex his igitur omnibus constat duo esse colligenda, librum secundum opusculi *De regimine Principum* a S. Thoma non fuisse absolutum, duosque posteriores libros a Tholomæo Lucensi perfectos. Quamvis Tholomæi nomen operi nequaquam inscribatur, scriptoribus qui ea de re disseruerunt accúratius, in primis Echardo Bernardoque de Rubeis non alia certior visa est sententia, cui libentius assentimur.

Inquiret autem forsitan quispiam, cur illud opusculum, quod ab historicis ad annum MCCLXX refertur, a S. Thoma non fuerit perfectum, quippe qui anno tantum MCCLXXIV occubuerit.

Si quis ad nomen principis, cujus gratia liber ille fuit compositus, animum intenderit, non multo post, ut opinor, in ipsam Echardi transierit sententiam. Quisnam vero fuerit ille rex Cypri, cui S. Thomas suam exposuit de principatu doctrinam, suaque de omnibus principum officiis præbuit consilia?

Paulus Nazarius (1) qui eum nominat Americum, procul dubio versatur in errore, quum nullum prorsus reperias eo nomine nuncupatum principem, qui Cyprum, tota S. Doctoris ætate, rexerit. Ad verum non magis accessisse pariter liquet Stephanum de Lusignano, qui genealogiam regum Cypri gallice suscepit scribendam. Illum enim regem e stirpe Lusiniana ortum esse contendit, Hugonem inquam tertium, qui Antiochiæ primo

(1) *Scriptor Ordinis Prædicatorum* (1556-1645).

tenuit imperium, Cyprumque postea circa annum MCCLXVII curavit regendam, et tandem, Conradino Neapoli circa annum MCCLXXII capite plexo, regnum Hierosolymitanum fuit adeptus. Res autem vix fidem meretur, nedum aliquo nitatur argumento evadatque certior. Omnes enim norunt Hugonem, regno Cypri vix occupato, rebus Hierosolymitanis potiri concupiisse; Mariam Antiochenam idem solium sibi vindicasse, jusque suum Carolo Andegavensi utriusque Siciliæ regi cessisse; eumdemque Carolum S. Thoma usum fuisse familiarissime. His dictis, cuiquam certo manifestum est S. Doctorem, qui tot et tantis animi non secus ac mentis dotibus præstabat, eo non venisse dedecoris ut amici conjunctissimi æmulo librum miserit.

Huc etiam accedit, quod Hugo tertius, quum Cypri regnum fuit adeptus, ætatis erat provectioris quam ut præcepta in opusculo *De regimine Principum* et ei afferre ausus fuerit S. Thomas et illa audire princeps non moleste tulerit.

Quæ quum ita sint, quanto sapientiorem arbitror Echardi sententiam, qui, re longius perpensa, Hugoni secundo inscriptum censet illud opusculum. Hic enim princeps, anno MCCLXVI natus annos circiter quatuordecim, is erat qui talibus instrueretur præceptis, quandoquidem ea principibus adolescentulis soleant præberi. Alio denique argumento, quod pondere minime vacat, illa roboratur sententia; Hugo secundus eodem anno vel sequenti MCCLXVII, scilicet decimo regni sui occubuit; quamobrem forsan S. Thomas opus hujusce principis gratia inceptum non absolvit. Quod autem ad duos posteriores libros attinet, dubitandi non esse locus videtur, quin Tholomæus Lucensis, ut supra dictum est,

eos scripserit. Quemadmodum scriptores alii Summam S. Thomæ curaverunt absolvendam, ita nihil obstat quin ille discipulus ejusdem Doctoris frequentissimus complendum susceperit illud opusculum. Quid igitur mirum, si duobus in posterioribus libris mortuum Rodolphum electumque Adolphum de Anaxone et alia facta auctor narraverit, quum usque ad annum MCCCXXI vitam perduxerit Tholomæus. Mea quidem non est in mente ut scriptorum verba iterum referam; hisce autem testimoniis argumentum quoddam adjungam necesse est minime contemnendum, quo ad duos opusculi libros posteriores Tholomæo forsan haud immerito adscribendos inducor.

Auctor enim libri tertii in capite decimo nono septem electores asserit a Summo Pontifice Gregorio V fuisse institutos; nec ullus est historicus Tholomæo prior, qui illud testetur (1). Itaque, Platina (2), cum septem electores a Gregorio V contendit institutos, nullius historici præterquam Tholomæi profert testimonium. Præterea, ab institutis electoribus usque ad suam ætatem annos circiter CCLXX interfuisse ab auctore hujusce libri tertii narratur. Eamdem apud illum atque Tholomæum esse temporum notationem, quæ hic et illic iisdem laborat vitiis, haud animadvertas difficilius; rem vero totam nullatenus expediam, quippe quæ longiori sermone esset absolvenda; quædam in medium afferre satis sit.

In capite enim XIX libri tertii (3) memoratur *ab Ottone primo imperium servatum fuisse usque ad tertiam gene-*

(1) *Tholomæi Historia Eccl.*, lib. XVIII, cap. 2.
(2) Platina (1421-1481) bibliothecarius Vaticani.
(3) *De reg. Pr.*

rationem quorum quilibet vocatus est Otto. Et ex nunc, per Gregorium V provisam esse electionem, ut videlicet per septem principes Alamaniæ fieret, quæ usque ad ista tempora perseverat, quod est spatium ducentorum septuaginta annorum vel circa. In capite sequenti legimus, Adolpho de Anaxone occiso, ipsum trucidatorem, Albertum inquam Rodolphi filium eodem modo fuisse electum.

Quid autem de his Tholomæus? In capite primo suæ historiæ asserit scriptor ille Gregorium V anno MXXI pontificalem adeptum fuisse potestatem; in capite secundo, institutos ab eodem pontifice electores, qui regnum Ottoni curaverunt deferendum; in capite quinto, Gregorium V anno MXXIV obiisse; et, ne plura dicam, in capite vigesimo septimo libri XXIV, Albertum Austriacum anno MCCXCVIII fuisse electum. Inde igitur perspicuum est scriptorem utrumque, si duo forsan exsistant, eodem in errore versari. Memoriæ enim ab omnibus historicis proditum est hinc Ottonem tertium anno DCCCCXCVI coronam adeptum, non ultra annum MII regnavisse; illinc autem Gregorium V anno DCCCCXCVI ad cathedram pontificalem evectum. Quonam vero tempore, quomodo, et a quo septem electores fuerint instituti adhuc sub judice lis est, nedum omnes historici in illud consentiant.

Mirum igitur fateor, (et quis mecum non fateretur,) scriptorem utrumque simul eosdem in errores incidisse, nec unum esse qui hic et illic facta sponte exposuerit. Quapropter quum nobis ad veritatis similitudinem videatur esse propensior quum Echardi tum Bernardi de Rubeis disputatio, qui diligentius enixi sunt ea de re disserere, maxima saltem probabile est conjectura a Tholomæo duos posteriores libros opusculi *De regimine Principum* fuisse confectos.

Non ita vero sentit Casimirus Oudinus (1), qui libros hujusce opusculi ita inter se connexos esse atque aptos asserit, ut unum atque eumdem esse totius operis auctorem, a S. Thoma, repugnante quorumdam factorum narratione, omnino diversum, scilicet Ægidium romanum. Quanto versetur in errore ille scriptor apertius constat; paucis igitur absolvam.

Quis enim opusculum quoddam *De regimine Principum* neget ab Ægidio fuisse confectum? Quis insuper, nisi oculis simul et mente capiatur, illud opusculum nesciat a libro S. Thomæ prorsus discrepare? Alterum ad regem Cypri patet fuisse compositum, alterum vero ad Philippum Pulchrum. Sic in prologo rem aggreditur S. Thomas : « Cogitanti mihi quid offerrem regiæ celsitudini dignum; » sic vero Ægidius : « Clamat politicorum sententia omnes principatus non esse æqualiter diuturnos. » Alterum opusculum libris quatuor constat, tribus autem alterum; cæteraque adeo differunt, ut infirme corruat et quasi sponte tota Oudini disputatio.

Quæ quum ita sint, diutius ea de re supervacaneum arbitror disserere; huic sententiæ hærendum est, cui aperte quum apud veteres tum apud recentiores favent scriptores ingenio doctrinaque probatissimi. Pars igitur altera hujusce opusculi S. Thomæ adscribenda est, Tholomæo Lucensi altera; unde oritur apertius explanari quidquid vitii in opere conficiendo hic et illic occurrit, et ipsius magistri doctrinam a discipulo absolutam nostri philosophi esse propriam, nec immerito illi tribuendam.

(1) (1632-1717) Supplementum de Scriptoribus vel scriptis eccl. a Bellarmino omissis ad annum 1460 edidit.

CAPUT II.

De origine potestatis ex S. Thoma.

Gravior est de vera potestatis origine vel minima disputatio, majoribusque suggerit materiam erroribus, quam ut quædam mihi non videantur præmittenda, quibus ea de re non ipsa solum S. Thomæ sententia, sed notissima etiam Ecclesiæ doctrina facilius explicabitur.

Abstractum a concreto distinguendum arbitror, ut aiebant scholastici philosophi; itaque hic de ipsa potestate in animo est disserere, non autem de multis principatus modis, quibus geritur auctoritas, neque de viis variis, quibus gentium dominium solet principibus committi. Ea est igitur quæstio : undenam, ut placet S. Thomæ, in quovis regimine, principi via qualicumque summam auctoritatem adepto, oriatur tanquam e suo fonte potestas?

Nemo est qui nesciat nos ad societatem natos esse, et hominum communitatem neque coalescere, neque permanere, nisi publica servatam auctoritate, qua hæc multitudo hominum, origine, natura, fine æqualium, ad com-

munem optimumque finem perducitur. Ea vero auctoritas cujus est hominum societatem regere, sicut ipsa societas, a naturæ lege, scilicet a Deo oritur.

Illa sententia de potestatis origine adeo mentibus insita est, ut eamdem vel apud gentes antiquas ingenio moribusque plurimum dispares reperias. Quod si non expressam ea de re doctrinam profitentur veteres, ex factis tamen licet inferre, nec immerito, veteres atque christianos levius opinione discrepuisse.

Quidam antiquis ex populis potestatem arbitrabantur a diis oriri, qui gentes vel ipsi olim rexerant, vel suis liberis commiserant regendas. Memoriæ proditum est antiquitus apud Ægyptios divinum, quem recentiores vocant (*theocraticum*), exstitisse principatum, a sacerdotibus deorum ministris ædificatas fuisse priscas civitates, leges conditas rectamque rempublicam. Imo vero, regnante Pharaonum stirpe, quisque princeps imperium adeptus habebatur ipse Solis filius; et Ptolemæi, ex illa fide suam percipientes utilitatem, omnibus regibus, qui ab Alexandro Ægyptum administraverant, cultum constituerunt divinum (1).

Ex vetustissimis etiam Græciæ annalibus, filii deorum putabantur plerique principes, qui, bello Trojano nondum incepto, regnum obtinuerunt; multique postea divinis honoribus fuerunt exculti.

Haud dissimilis apud Romanos opinio. Divina stirpe oriundos quum civitatum conditores, tum priscos reges credebant, quos deos patrios, Indigetes nominare cultuque assiduo prosequi solebant. Quid de Cæsare, quid de

(1) Gaston Boissier, *La religion romaine d'Auguste aux Antonins*, t. I, p. 124 et suiv.

Augusto narraverint historici supervacaneum puto recensere; verbum commemorare satis sit Plinii Trajanum alloquentis : « Ipse mundi parens fata mortalium inter divina « opera numerare dignatus est : qua nunc parte cura- « rum liber solutusque, tantum cœlo vacat, postquam « te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fun- « gereris (1), » et illud senatus verbum a Tacito relatum : « Principes instar deorum esse (2). » Constat enim imperatores, per quatuor sæcula, omni opera nisos fuisse, ut ipsa deorum auctoritate adaugeri sua auctoritas, extollique et stabiliri videretur; ideo summorum pontificum munia regiæ dignitati diligentius curabant conjungenda. Illa igitur a majoribus accepta adeo vigebat opinio ut, vel ipso Cæsarum tempore, quando fides antiqua penitus deficiebat, remaneret integra.

Quid plura? Apud veteres populos, summa potestas nemini committi solebat, nisi præesset religio; illud adeo mentibus insitum erat principatum alicui nullatenus, nisi diis haud invitis, contingere. Itaque, principes, qui via quacumque occupaverunt regnum, nonnunquam nihil antiquius habuerunt, quam ut divinam requirerent consecrationem, qua auctoritas nobilior evaderet, firmiorque et potentior.

Eamdem doctrinam, quæ *Juris divini* vulgo dicitur, semper professi sunt christiani. Meminerimus autem oportet in *media ætate* philosophiam a theologia non fuisse disjunctam, duasque sorores habitas, quarum altera alteri mutuum commodaret auxilium. Itaque S. Thomas argumentis ex ratione deductis argumenta non du-

(1) Plinius, *Paneg.* 80.

(2) Tacitus, *Ann.* III, 36.

bitat addere theologica, quippe qui christianos edoceat sententiamque explicet omnibus acceptissimam, scilicet principatum oriri a Deo « per quem reges regnant. » Quis antea illam maximi momenti quæstionem clarius evolverat atque præstantius? Quod si Deum rebus a semetipso creatis providere, et omnia ad finem idoneum dirigere credimus, ipsa principum potestas, ut ait Doctor noster, a Deo oritur. Quæ quidem S. Thomæ argumenta brevius juvat proferre.

In primis nihil naturæ accommodatius esse contendit hominum societate, qua, propter vitæ necessitatem, homines ipsis animalibus debiliores congregantur, « ut unus ab alio adjuvetur (1). » Quum autem « multitudo in « diversa dispergeretur, nisi esset aliqua vis regitiva « communis quæ ad bonum commune intenderet, opor- « tet esse in omni multitudine aliquod regitivum (2). » Cujus vero auctoritatis ministros « Summo Regi, Domino dominantium » ita obnoxios esse profitetur, ut regnum illis concedi soleat vel auferri a Deo, qui populis necnon singulis hominibus præest. « Non est enim potestas nisi « a Deo; unde rex et vices Dei gerit in terris. Pro- « pter quod tota virtus dominii ex Deo dependet sicut « ejus ministri (3); et a Deo omne provenit dominium « sicut a primo dominante (4). »

Insuper, tribus argumentis « ex primo ente, ex motu et fine cujuslibet entis » deductis, Aristoteles Deum esse docuerat; eisdem S. Thomas demonstrat, a Deo oriri

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. I.
(2) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. I.
(3) *De reg. Pr.*, lib. II, cap. XVI.
(4) *De reg. Pr.*, lib. III, cap. I.

auctoritatem (1). Quædam autem in hisce argumentis inesse fateor quæsita nimis obscuraque et implicata. Hinc tamen hic et illic eximiis distincta accuratius atque illustrata similitudinibus ea clarior eminet sententia, quam S. Thomas sibi proponit explicandam. In omnibus suis operibus, ubi res postulat, Deum gentium haud secus ac hominis creatorem dominumque celebrat, ab illo non modo vim legum dictitat oriri, sed principum etiam auctoritatem, quos sæpius nominat « Dei legatos atque ministros, » quos asseverat « a Deo fuisse institutos ut regantur populi. » Qui epistolam S. Pauli ad Romanos a S. Thoma explanatam perlegerit, ei ne minimum quidem erit dubium de hujusce Doctoris sententia, quæ his verbis contrahitur : « Principes sunt sub regimine Dei « quasi Supremi Principis, tanquam ministri ordinati, « ut non solum a malis timore pœnarum retrahant, sed « etiam ad bonum per prœmia alliciant (2). »

Quin etiam, adeo ratus est S. Thomas nullam esse nisi a Deo auctoritatem, ut et malos principes, qui injuria adepti sunt imperium, qui legibus iniquis vexatas gentes opprimunt, qui tamen quamdam præ se ferunt auctoritatis speciem, ea etiam potestate, mediante Deo, valere contenderit. « Sed et mali principes ministri « Dei sunt, secundum ordinationem Dei ad inferendas « pœnas, licet hoc sit præter intentum eorum (3). »

Ex his igitur S. Thomæ verbis, quæ nisus sum usurpare, intelligi haud temere potest quid ea de re

(1) *De reg. Pr.*, lib. III, cap. I, II, III.

(2) Epistola S. Pauli ad Romanos, cap. XIII, lectio 1ª S. Thomæ, in medio.

(3) Ibidem.

senserit philosophus ille gravissimus; apertior est ejus sententia, quam ut alia, quibus corroboretur, in animo sit requirere atque proferre.

Ea Juris divini doctrina a natura Dei deducitur qui omnium creator apud homines summa valet auctoritate, a communi hominum natura, necnon a natura societatis quæ principatu quodam nullatenus potest carere.

Quando autem doctor inquirit quanam via principibus a Deo illa committatur auctoritas : utrum Deus principes qui regant gentes indicet nomine, an summam potestatem, mediante populo, eis curet tradendam, historicorum fretus testimoniis respondet ipsos tantum duces Judæorum olim a Deo fuisse electos, ceteros vero apud populos principes, quibusdam servatis conditionibus, regnum jure adipisci.

De ea quæstione non longius disserit S. Thomas; Aristotele innititur, quum principem virtute et prudentia insignem contendit eligendum, qui munere suo optime fungatur, gentisque commodis consulat. Magister popularem electionem docet esse principatus originem, discipulus vero electionem nihil aliud nisi viam qua regibus in principio, et seu stirpe regia, seu regno ipso ineuntibus, defertur auctoritas.

Ea est Juris divini doctrina, quæ in media ætate vigebat et a plerisque Ecclesiæ doctoribus adhuc profertur; Dei enim naturæ consentanea, prosperis populorum rebus providet, quippe quæ vitiis, quibus gentes nonnunquam laborant, occurrat, sive principum, sive subditorum omnem removeat tyrannidem, et his justitiam, illis obedientiam suadeat excolendam.

CAPUT III.

De variis principatus modis.

Quamvis ab uno fonte, scilicet a Deo, S. Thomas omne dominium oriri contendat, nihil obstat quin multiplex sit illa potestas, qua principes valent apud populos, dummodo hominum societas bonum commune sibi queat comparare. Rem enim ita sese habuisse ab historicis accipimus; principatus maxime diversi rerum temporisque gratia conditi in dies adoleverunt, et nullum reperire est regimen, quod apud gentes antiquas visum fuerit ceteris anteponendum. In omnibus Orientis regionibus vigebat summa regum potestas; in Græcia, civitatibus regendis præerat populus; Romæ, in locum regiæ potestatis primo supposita fuit Respublica, deinde Imperium.

Nullum est igitur tempus, nullaque regio, ubi a gentibus variis varii non exculti fuerint modi principatus; durante media ætate et in ipso S. Thomæ sæculo, hic regna videre est maxima, illic pollentes Italiæ Respu-

blicas, civitatesque Gallicas majorem in dies libertatem adeptas. De hisce variis principatus modis non quidquam pensi habuit Ecclesia; divina potestatis origine statuta, regimen qualecumque eodem prosequitur studio, et homines hortatur, ut, seu regali potestati, seu regimini aristocratico vel democratico, pro cujusque regionis legibus moribusque, præstare nitantur.

Alia in medio ævo neque prolata fuit, neque potuit proferri doctrina; itaque, S. Thomas, duce Aristotele, gentes triplici principatu, *politia,* quod recentiores regimen populare vocant, *aristocratia* et *regno,* honeste gubernari arbitratur (1).

Quærenti autem quænam Aristoteles et S. Thomas de optimo regimine ceterisque ad principatum attinentibus sentiant, utrumque manifestum est in quibusdam discrepare. Dum enim magister nulli ex principatibus, quorum vicissim commoda vitiaque explicat, videtur apertius assentiri, discipulus ratus nihil esse in regno, unitate melius, nihil utilius, nihilque præstantius, monarchiam celebrat, quæ rebus gerendis ipsi videtur accommodatior. Quamvis ceteros politici regiminis modos nequaquam improbet, rationes quibus potissimum proprioque consilio monarchiam aliis principatibus anteponit, tribus argumentis corroborat.

« 1° *Bonum et salus consociatæ multitudinis est, ut* « *unitas ejus conservetur, quæ dicitur pax, qua remota* « *socialis vitæ perit utilitas; manifestum est autem quod* « *unitatem magis efficere potest quod est per se unum* « *quam plures.* »

« 2° *Si ea quæ sunt secundum artem, imitantur ea*

(1) *De reg. Pr.,* lib. I, cap. I.

« *quæ sunt secundum naturam, necesse est quod in* « *humana multitudine optimum sit quod per unum re-* « *gatur. Sic in membrorum multitudine unum est quod* « *omnia movet scilicet cor, et in partibus animæ ratio;* « *est etiam apibus unus rex, et in toto Universo unus* « *Deus, factor omnium et rector.*

« 3° *Hoc etiam experimentis apparet : nam provinciæ* « *vel civitates, quæ non reguntur ab uno, dissensionibus* « *laborant, et absque pace fluctuant. E contrario vero,* « *provinciæ et civitates quæ sub uno rege reguntur, pace* « *gaudent, justitia florent et affluentia rerum lætan-* « *tur* (1). »

Ex Summa theologica eamdem juvat depromere sententiam, quæ nec rebus, nec etiam verbis a loco supra prolato discordat.

« Illud quod est per se unum, potest esse causa unitatis « convenientius quam multi uniti. Unde multitudo melius « gubernatur per unum quam per plures (2). » « Regnum « inter alias politias est optimum regimen (3). »

Quamvis autem regiam potestatem S. Thomas plurimi faciat, omnia tamen quæ ex illo regimine oriri solent incommoda, nullatenus silentio prætermitit. Tyrannum non modo depingit, sed ipsum videtur audire, mentis latebras penitus reconditas perscrutari, vitia ejus excutere singula, meritoque castigare pro virili parte nititur (4). Duce quidem Aristotele (5), indolem tyranni exprimit; nescio autem an magistro discipulus non præstiterit.

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. II.
(2) *Summa theol.*, 1ª pars, Q. CIII, concl. III.
(3) 2ª. 2ª. Q. L. I. 2.
(4) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. III.
(5) Arist., *Polit.*, lib. VIII, cap. IX.

Quanta enim arte demonstrat pessimum istum principem, spreta Dei auctoritate, leges sive divinas sive humanas perrumpere, suis indulgere libidinibus, consulere in primis avaritiæ et crudelitati, omniaque per fas et nefas gerere. Quis tantum judicii acumen, tantamque vim verborum miratus, Tacitum suam in memoriam non revocaret, quum Tiberii, Neronis, ceterorumque tyrannorum mores improbos vituperat.

« Tyrannus qui passione cupiditatis detinetur, bona « subditorum rapit. Si vero iracundiæ passioni subjaceat, « pro nihilo sanguinem fundit. Sic nulla erit securitas, « sed omnia sunt incerta, cum a jure disceditur, nec « firmari quidquam potest, quod positum est in alterius « voluntate, ne dicam libidinem. Nec solum in corpo- « ralibus subditos gravat, sed etiam spiritualia eorum « bona impedit, quia qui plus præesse appetunt quam « prodesse, omnem profectum subditorum impediunt, « suspicantes omnem subditorum excellentiam suæ ini- « quæ dominationi præjudicium esse. Tyrannis enim « magis boni quam mali suspecti sunt, semperque his « aliena virtus formidolosa est..... Ex hoc contingit, ut « dum præsidentes qui subditos ad virtutes inducere « deberent, virtuti subditorum nequiter invident, et eam « pro posse impediunt, sub tyrannis pauci virtuosi inve- « niuntur..... Naturale etiam est, ut homines sub timore « nutriti, in servilem degenerent animum et pusillanimes « fiant ad omne virile opus et strenuum... A tyrannis se « abscondunt homines sicut a crudelibus bestiis, idemque « videtur tyranno subjici, et bestiæ sævienti subs- « terni (1). »

Invidiosus quidem tyrannus, qualis ab Aristotele

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. III.

describitur, qualis vero a S. Thoma, videtur invidiosior. Alter enim his tribus argumentis innititur, tyrannum nihil aliud intendere, nisi ut cives sese in mutua suspicione habeant, subjectorum imminuatur potentia, moresque corrumpantur; alter autem longius progreditur, apertiusque explicat tyrannum « virtuti subditorum nequiter invidere et eam pro posse impedire, » et discedere a fine principatus præcipuo, suisque gravissimis deesse officiis. Quo autem temporalibus pluris præstant spiritualia, eo tyrannis, qua mentes opprimuntur, est molestior.

Tyrannidem sæpius ex plurium principatu quam ex monarchia S. Thomas probat oriri. Ubi enim plures summa fruuntur auctoritate, inter eos frequentia solent accidere jurgia, quibus civium pacem constat turbari, res dissolvi prosperas, et ab audacissimo quoque duram tyrannidem occupari (1). Ea de re silet Aristoteles, nec de incommodis democratiæ propriis disserit. Multa autem in ipsius plebis principatu S. Thomas inesse vitia contendit. Quis enim civium multitudinem tam variis agitatam libidinibus potest continere, quippe quæ natura sit levis atque inconstans; quis in unam sententiam de bono publico plebem adducere, cujus quot capita tot sensus; quis eam coercere, ne modum excedat.

« Si regimen iniquum, ait S. Thomas, exerceatur « per multos, quando scilicet populus plebeiorum per « potentiam multitudinis opprimit divites, populus totus « erit quasi unus tyrannus (2). »

Quæ quum ita sint, ex illa S. Thomæ doctrina se-

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. v.
(2) Ibidem, lib. I, cap. I.

quitur monarchiam ceteris regiminibus esse anteponendam. Cuinam autem monarchiæ assentitur noster philosophus? Cuncta quidem tyrannidis incommoda sagacitate evolvit præstantiori, majorique studio præcavet ne populi servitute opprimantur, quam ut monarchiam *absolutam* prædicet, in qua unus totius regiminis potitur, et leges ferre et omnia vi sui arbitrii regere solet. Itaque regimini temperato sic libentius indulget :

« Optima est politia bene commixta ex regno, in « quantum unus præest; et ex aristocratia, in quan- « tum multi principantur secundum virtutem; et ex « democratia, id est potestate populi, in quantum ex « popularibus possunt eligi principes, et ad populum « pertinet electio principum. *Unus* præficitur secun- « dum virtutem, qui *omnibus præsit*, et *sub ipso* sunt « aliqui principantes secundum virtutem; et tamen « talis principatus (monarchia sic temperata) ad omnes « pertinet, tum quia ex omnibus eligi possunt (qui « principentur secundum virtutem sub monarcha), tum « quia ab omnibus eliguntur (1). »

Utrum autem illud temperatum regimen, quod sæpius a S. Thoma celebratur, differat ab illo regimine quod recentiores *parlamentarium*, *constitutionale*, *repræsentativum* appellant? Alterum alteri patet in eo conferendum esse, quod S. Thomas requirat ut regalis potestas ipsius gentis consiliis innitatur, nec omnia princeps pro suo arbitrio agat, principisque libidines, si res postulat, freno quodam coerceantur. Meminerimus oportet S. Thomam, durante media ætate, scripsisse, primumque locum regi et optimatibus tribuere non dubitasse, quod

(1) *Summa theol.*, 1ª. 2ᵃᵉ. Quæst. CV, art. 1.

regalis potestas divino munere fungi putabatur, maximaque auctoritate et clerus et optimates in eo tempore pollebant. Illud præterea notandum est S. Doctorem postulasse ut populus, opificesque et civitates rempublicam aliqua ex parte valerent attingere. Nullatenus vero illi regali potestati videtur assentire, quæ leges non conficeret, sed confectas tantum acciperet iisdemque præesset observandis. Principis enim illud proprium esse munus contendit, quo leges condi simul et servari solent, principi vero nullam legem esse promulgandam, nisi ipsa populi sententia comprobatam. Itaque S. Thomæ doctrina ad vetus effatum nonnunquam in medio ævo prolatum accedit : « *Lex fit consensu populi et constitutione regis.* »

Nullum igitur regimen rejiciendum esse S. Doctor arbitratur, dummodo gentes ad finem a Deo propositum ducantur. Sive regi, sive optimatibus, sive ipsi populo committatur respublica, quum ab hominibus geratur, qui libidinibus sæpius indulgent, quivis principatus suis valet commodis, suisque etiam inficitur vitiis; utraque a S. Thoma apertius perpenduntur. Si regalem potestatem præcipuis extollere videtur laudibus, nulla ratione in eam sententiam inclinatur, nisi quod monarchia paci gentium sit aptior, remotior a tyrannide, finique societatis attingendo accommodatior. Nec miror quidem; ea est enim agendi ratio, qua apud gentes semper usa est Ecclesia, quippe quæ nulli regimini fidem suam penitus obstringat. Illud a quovis principatu requirit, ut christianæ libertati magis ac magis faveat, optatque ut neque leges neque publica potestas veræ religioni adversentur. « Quantum enim, ait S. Augustinus, pertinet ad hanc « vitam mortalium, quæ paucis diebus ducitur et finitur,

« quid interest sub cujus imperio vivat homo moriturus, « si illi qui imperant, ad impia et iniqua non cogant (1). » Ubi igitur Dei mandatis reges, optimatesque et multitudo obtemperant, et honesta utuntur potestate, Ecclesia, cujus est populos haud secus ac homines singulos ad cœlestia dirigere, principatus omnes, qui fini societatis provident, suo prosequitur studio atque reverentia.

(1) *De civitate Dei*, lib. V, cap. XVII.

CAPUT IV.

De modis acquirendi, gerendique et amittendi principatus.

Ex variis principatibus nullum S. Thomas putat removendum, sed temperato regimini, quod vitiis potissimum vacat, libenter assentitur; quamobrem, quæ de modis acquirendæ, gerendæque et amittendæ potestatis explicat, ad illam potius monarchiam videntur spectare. Meminerimus insuper oportet a plerisque gentibus, durante media ætate, fidem christianam excultam fuisse, et ideo doctrinam a nostro philosopho prolatam, indoli populorum, moribusque et legibus eo tempore vigentibus fuisse aptissimam, non autem in populos recentiores totam cadere. Nec mirum quidem; quibusdam enim conditionibus mutatis, mutantur simul et quæ principatui nonnunquam adjunguntur.

Inquirit in primis S. Thomas quanam via obtineatur principatus, utrum per hæreditatem, an per electionem regnum sit transferendum?

Aristoteles electionem viriliter propugnat, eamdemque hæreditati contendit præponendam, iis innixus argumentis, quod filii regum non digni sunt, ut sæpius accidit, qui principatum adipiscantur (1), et quod ipsi reges, summa potestate quasi jure suo potiti, vitam omni intemperantiæ addicunt nedum provideant reipublicæ, et idcirco in contemptionem plerumque veniunt, regnoque expelluntur (2).

Ab Aristotele diversus, S. Thomas hæreditatem nec improbat, nec valet improbare, si ad omnes reges christianos principatum eo tempore hæreditatis gratia adeptos, si in primis ad Ludovicum nonum tot et tantis virtutibus eminentem, intendit animum. Quin etiam, si ea de re tacet S. Doctor, eum hæreditati favisse ausim asseverare. Nonne enim opus suum *De regimine Principum* ad Regem Cypri mittit, quæ a principibus e domo Lusiniana oriundis jamdiu gubernabatur? Nonne OEgidium habuit discipulum, qui, ut infra dicetur in quodam hujusce opusculi capite, hæreditatem electioni apertius docet anteponendam?

Statutis autem quibusdam conditionibus, S. Thomas electioni non dubitat assentiri. Inquirendum est a quibusnam civibus eligendi sint principes, et quinam sint eligendi? Aristoteles requirit ut ab omnibus et ex omnibus princeps eligatur. Cum magistro convenit discipulus, sed præsertim ut par est, in eligendis principibus, rationem virtutis habendam esse profitetur.

Pauperes enim plerumque ad regendam rempublicam non expedit eligi, « impossibile est, ait, egentem bene

(1) Aristoteles, *Politica*, lib. III, cap. x, 9.

(2) Ibidem, lib. VIII, cap. VIII, 20, 23.

« principari, ac legitime negotiis publicis posse vacare. « Propter necessitatem inhiat lucris et resilit a virtute, « nec sibiipsi vacare potest ut quiescat animus, seu « sit animus in consulendo liber (1). » Divites autem in periculum ab honesto discedendi multo minus adducuntur; non ideo tamen eis censet deferendam esse summam potestatem, quod opum amplitudine circumfluunt, ne omnibus nimium cupiditatis studium, quo nihil deterius, injiciatur. « Sive ergo pauper, sive « dives, dummodo vivat secundum virtutem, assu- « mendus est in vera politia (2). »

Philosophus uterque populum in quamdam summæ auctoritatis partem fatetur vocandum (3). Subditorum est enim principibus auxilium ministrare, solvere vectigalia et idcirco in partem regni venire, ut sapientius regatur respublica, principatus intra justitiæ fines coerceatur, gentisque libertas ab omni vindicetur periculo. Ea S. Thomæ sententia, ipsa S. Augustini, cui assentitur libenter, doctrina confirmatur, qua majorem in lucem profertur plebis potestas.

« Si populus sit bene moratus, et gravis, commu- « nisque utilitatis diligentissimus custos, recte lex « fertur, qua tali populo liceat creare sibi magistratus, « per quos respublica administretur. Porro si paulatim « idem populus depravatus habeat venale suffragium, « et regimen flagitiosis sceleratisque committat, recte « adimitur populo talis potestas dandi honores, et ad « paucorum bonorum redit arbitrium (4). »

(1) *De reg. Pr.*, lib. IV, cap. xx.
(2) Ibidem.
(3) Arist., *Polit.*, lib. III, vi, 12.
(4) 1ª. 2ᵃᵉ. Quæst. XCVII, art. 1. — S. Aug., *De lib. arbit.*, I, xiv.

Inde apertius sequitur illam populo concessam potestatem de summa plebis auctoritate plurimum discrepare. Ubi enim populo « *bene morato et gravi* » quamdam tribuendam esse potestatem arbitratur, in partem principatus cives tantum admittit honestis moribus conspicuos, qui rei familiari consulunt, qui præsunt domui, qui, ne plura dicam, gentis gerunt personam. Ea de re cum S. Thoma celeberrimi mediæ ætatis philosophi consentiunt.

Ratus autem S. Thomas nihil esse justitia melius, nìhilque gentis securitate præstantius, prìncipes ita censet esse constituendos, ut potestate utantur perpetua, nedum in his Aristoteli (1) assentiatur. Quot enim et quantis malis populi afficiuntur a principibus, qui « ad tempora regnantes, ad judicandum sunt præci- « pites, sive contra cives de ipsis amovendis sollicitos, « sive alicujus rei adipiscendæ cupidine, vel ut ami- « cis præstent gratiam, quam si regnassent non fuis- « sent facturi..... Sed si dominium est perpetuum, « rector curabit de subditis sicut de re propria, ad « quam quotidie et continuo sollicitatur quasi ad suas « divitias naturales, et ad indeficientem thesaurum. « Propter quod sic ipse eos gubernat sicut pastor « gregem, sicut hortulanus plantam, quorum qualis- « cumque læsio ejus efficitur scandalosa (2). »

Etsi res gravissimis probatur argumentis, innumera tamen incommoda quæ ex auctoritate in tempus concessa, vel ad arbitrium et nutum populi rescindenda nascuntur, diligentius sic commemorare nititur.

(1) Arist., *Polit.*, lib. VII, cap. I, 10.

(2) *De reg. Pr.*, lib. IV, cap. XVI.

« Interdum assumitur inexpertus, ex quo multi con-
« tingunt errores in politia, quia datur occasio sub-
« ditis non obedientiæ ex spe evadendi manum prin-
« cipis, vel veniendi ad dictum principatum (1). »
Regnum igitur, quod in primis bono reipublicæ consulit, quod, « secundum merita unicuique civi vicissim distributis honoribus, » privatorum favet commodis, quod tandem tutius quovis alio regimine est atque præstantius, S. Doctori longe videtur ceteris anteponendum.

Quid de variis principum ministris, qui negotiis regni singulis singuli curam debent impendere, quid de re militari et navali, de vectigalibus et de ceteris regni partibus, in suo opusculo S. Thomas ex Aristotele sæpius exprompserit, vel summatim recensere puto supervacaneum.

Venio nunc ad modum quo amittitur principatus, scilicet ad tyrannidem, quæ præcipua regni amittendi causa a S. Doctore indicatur. Quum illa peste nihil invenias funestius, diuque et multum in media ætate ea de re fuerit disputatum, sententiam S. Thomæ nobis liceat longius exponere.

Pluribus in locis Aristoteles de tyrannide disserit, eamdemque et inhonestam et nullatenus stabilem profitetur, sed de expellendo tyranno silet; quæ tamen quæstio maximi videtur esse momenti.

Duplex a S. Thoma distinguitur tyrannis; et ideo providendum est, prout res postulat, quomodo tyrannus sit amovendus.

« Si non fuerit excessus tyrannidis, ait S. Doctor,

(1) *De reg. Pr.*, lib. IV, cap. VII.

« utilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus, « quam tyrannum agendo multis implicari periculis, « quæ sunt graviora ipsa tyrannide (1). »

Quot enim et quanta sequantur incommoda enumerat, scilicet crudelior in tyranno iracundia, graviores in populo dissensiones, et plerumque, expulso principe, alia servitus molestior.

« Et si sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibus- « dam visum est ut ad fortium virorum virtutem per- « tineat tyrannum interimere, seque pro liberatione « multitudinis exponere periculis mortis (2). » Huic opinioni nequaquam assentitur, imo gravissimis argumentis eam redarguit.

Hinc enim Scripturam sacram commemorat qua præcipitur ut « subditi dominis etiam dyscolis et non bonis tantum et modestis obediant; » illinc exempla martyrum proponit, qui mortem rebellioni anteposuerunt. Præterea manifestum est malos, qui ad necem tyranno inferendam promptiores essent, regi ne sapientissimo quidem parcituros : « malis enim solet esse grave dominium non minus regum quam tyrannorum. »

Utrum vero violentia tyrannorum vel crudelissima nullatenus sit refrenanda, populoque tot et tantis vexato injuriis nullum remaneat perfugium, nisi in malis tolerandis patientia spesque sortis felicioris? S. Thomas gentes tanta opprimi calamitate molestius patitur, quam ut huic miseriæ admovendum non curet remedium. Quod civibus singulis prohibetur lege naturæ, illud ipsi societati nequaquam denegandum esse fatetur. Principem enim inter et subjectos pactum quoddam

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. VI.
(2) Ibidem.

exsistit saltem tacitum, quod, ubi princeps in tyrannidem incidit, rumpitur; « quia hoc ipse meruit in « multitudinis regimine se non fideliter gerens ut exigit « regis officium, quod ei pactum a subditis non reser- « vetur (1). »

Quum autem judicem haud facile reperias qui in sua causa æquabilem juris teneat rationem, S. Doctor illud addit notatione dignum : « Si ad jus alicujus su- « perioris pertineat multitudini providere de rege, ex- « spectandum est ab eo remedium contra tyranni nequi- « tiam (2). » Quisnam vero sit ille populorum arbiter? Quum nemini, ut fit plerumque, populus obnoxius est, S. Thomas fateri videtur nullum esse judicem qui gentes inter et principes, servata justitia, queat controversias disceptare, nisi Ecclesiam, quæ maxima christianos apud populos, durante ætate media, valebat auctoritate.

Nullum tamen adversus tyrannos a S. Thoma tutius commendatur remedium, quam morum integritas ceteræque virtutes, et finis iniquitatum; « quia in ultionem « peccati divina permissione impii accipiunt principatum, « tollenda est culpa ut cesset tyrannorum plaga (3). »

Priusquam autem ea de re sermonis finem faciam, de ipsa quorumdam scriptorum sententia, qui S. Thomam acerrimos inter tyrannicidii fautores adnumerare non dubitaverunt, aliquid censeo addendum. Ex dictis in sexto capite libri primi *De regimine Principum* constat S. Thomæ doctrinam tyrannicidio nullatenus favere. Mea tamen non est in mente ut argumentum ex *Commentariis*

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. VI.
(2) Ibidem.
(3) Ibidem.

in Sententias desumptum, quo præsertim innituntur isti scriptores, silentio prætermittam. « Qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur et præmium accipit (1). » Ne autem judicium inconsulte feratur, locum, in quo illam reperire est sententiam, totum juvat commemorare. Ibidem enim a S. Thoma Tullius inducitur eos laudibus extollens, qui Cæsarem nece affecerunt; et cuivis istum locum perlegenti verba, quibus res patet apertissime, illa occurrent : « *Tullius loquitur in eo casu,* « *quando aliquis dominium sibi per violentiam surripit,* « *nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis,* « *et quando non est recursus ad superiorem, per quem* « *judicium de invasore fieri possit. Tunc enim qui ad* « *liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur et* « *præmium accipit.* » Nihil in ea sententia inesse videtur quod mirari debeamus. Qui enim, omni jure læso, armis principatum invadit, nequaquam princeps habendus est, sed reipublicæ iniquus oppressor. Quemadmodum privato cuique licet vim vi repellere, iniquumque oppressorem, alia salutis via deficiente, interimere, ita respublica, quando aliud non suppetit remedium, tyrannum, qui principatum vi et injuria occupare nititur, haud immerito expellit, quin etiam, quovis cive adjuvante, tollit e medio. Itaque, cives qui, necatis istis *invasoribus,* patriam maximo eripuerunt periculo, apud omnes gentes amplissimis accipimus fuisse donatos honoribus.

Ex his omnibus colligendum arbitror a S. Thoma, qui sapientissimam semper profitetur doctrinam, sententias evolutas fuisse auctoritati principum simul et populorum libertati accommodatissimas, eumdemque præclarum doctorem immodicæ plebis potestati non favisse.

(1) *Comment. in Sent.* II, d. XLIV, q. IV, art. 2, ad 5.

CAPUT V.

De virtutibus principis.

S. Thomas, ut dictum est, principes sæpius professus est Dei vices gerere, cujus inter populos sunt ministri, hisque verbis non dubitavit regalem celebrare dignitatem : « Hoc officium rex se suscepisse cognoscat, ut sit « in regno sicut in corpore anima, et sicut Deus in « mundo (1). »

Inde virtutes deducit, quibus præstare debeant principes, justitiam scilicet « ut loco Dei judicium regno « exerceant, » et mansuetudinem « dum reputant sin- « gulos, qui suo subsunt regimini, sicut propria mem- « bra (2). »

Justitiam et mansuetudinem quis ignorat duo esse fundamenta quibus firmius regnum innititur. Principem enim decet justitia, qua leges debet condere, discep-

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. XII.
(2) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. XIV.

tare lites, pronuntiare judicia, decreta exsequi, munera cuique pro suo ingenio committere, cuique pro suis facultatibus imponere vectigalia, cuique tandem honores debitos concedere. Lites in primis, quæ sæpius exoriuntur, illi tanta æquitate dijudicandæ sunt, ut jus nullum, ne minimorum quidem civium, imminuatur, securitate fruantur cives integri, dignisque pœnis scelerati homines afficiantur. Quid enim tristius virtute injuriis vexata, nequitia honoribus ornata quid indignius?

Quo autem S. Doctor regem justitia potentiorem arbitratur, eo mansuetudine admirabiliorem, quippe qui « sicut Deus in mundo » sit habendus. Justitia enim aliis injicitur metus, aliis fiducia, omnibus vero mansuetudine excitatur reverentia.

De duobus hisce virtutibus, quas « maxime proprias regi » celebrat, ex Aristotele in hoc opusculo disputat S. Thomas; aliis autem in operibus longam de Prudentia, de Magnificentia, de Magnanimitate et de ceteris virtutibus instituit disputationem. Hic et illic quidem discipulum a magistro parum reperias diversum, sed, christiana adjuvante doctrina, sermone disserentem apertiori.

Excelsior igitur illi principum dignitas videtur, gravioraque eorum officia, quam ut eos mercede non censeat donandos amplissima. Itaque, nec voluptates, nec divitias pro præmiis requirit, quas contemnere sapientis est animi, nec honores, nec gloriam, quibus « nihil « videtur in rebus humanis fragilius, quum dependeant « ex opinionibus hominum, nihilque sit mutabilius in « vita hominum (1). » Hisce omnibus altius quoddam pleniusque anteponendum est præmium; non ii enim

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. VII.

sunt homines, qui dignam principibus de republica bene meritis deferant remunerationem. « Debent igitur reges « pro suo regimine præmium exspectare a Deo. Remu- « nerat autem pro suo ministerio reges interdum tempo- « ralibus bonis, sed talia præmia sunt bonis malisque « communia. Non quidem terrenam, sed æternam mer- « cedem eis promittit, nec in alio quam in seipso (1). »

Quanta autem sit illa merces a regibus apud Deum comparata, quum multis argumentis tum exemplis S. Thomas nititur demonstrare. Si enim qui legibus obtemperat accurate, mercedem consequitur in cœlo insignem, quanto majore fruetur præmio qui reipublicæ causa tot et tanta suscipit officia, qui labores, qui vigilias, qui otium, qui vitam suam in utilitatem civium studiosius confert. Quemadmodum enim laudabile est veritatem discere, ædificare domum, fortitudine sua referre victoriam, multo laudabilius veritatem docere alios homines, ædificium disponere, victorias prudentia comparare atque ingenio, ita rector multitudinis qui tam multis præest muneribus, si cuncta sapientissime confecerit, majore est laude celebrandus ampliorique donandus mercede, « quam aliquis subditorum qui sub rege bene se habuerit (2). »

Ea est hominis natura, ut laudis cupidine et spe præmiorum summopere soleat ad bonum faciendum malumque vitandum incitari, et quo graviori prematur laborum copia, eo majori movendus sit stimulo. Nequaquam igitur mirum, si regem allocutus adolescentia eximium, quem studio pariter ac reverentia amplecti-

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. VIII.

(2) Ibidem, lib. I, cap. IX.

tur, longius de mercede regum propria disserit S. Thomas, si nihil inexpertum intentatumque relinquit, ut princeps carissimus ipse conceptam de se spem impleat, omnibus suæ patriæ provideat commodis, finemque prosequatur optimum.

Dicet autem forsitan quispiam : majoribus reges a S. Thoma celebrantur laudibus, quam ut superbia arrogantiaque non tumeant. Non ita plane. Etsi enim de summa regum dignitate libenter S. Doctor disserit, necnon de virtutibus, quibus principum vita honestior constituitur atque utilior, de vitiis tamen ad quæ natura videntur propensiores, eos nec remissius præmonet. Si Aristoteles quædam notavit pericula in quibus versari solent principes, et pro virili parte patefecit vitanda, non ego miror hunc morum præceptorem, eximium, christiana fultum doctrina, nihil admodum omisisse. Quidquid igitur in vitia principes injiciat, reique publicæ sit detrimento, diligenter explicat. Hinc adulatores ad blanditias promptiores exhibet, quibus nulla pestis funestior, nec tyrannorum, ut placet Aristoteli, sed regum omnium propria; illinc divitias et voluptates, quibus plus æquo dediti principes culpa vacant difficilius. Cujusnam enim ea est virtus et sapientia, ut assentatorum nunquam dolis capiatur, neque corrumpatur divitiis, neque sese efferat insolens, neque leges condat injustas, præsertim si princeps rerum atque hominum imperitus regnum obtinuerit? Itaque in regum memoriam S. Thomas non desinit revocare, tam gravia adimpleri non posse officia, nisi adjuvet Dei gratia, quæ precibus assiduis est petenda.

Si igitur princeps ille, quem suscepit educandum, vitam duxerit innocentem, vel « si aliquando per in-

firmitatem peccaverit » et ad meliorem mentem voluntatemque fuerit conversus, eum post mortem maxima mercede donandum esse arbitratur. Graviora enim fuerunt regum pericula, ampliorem decet esse remunerationem : « Nam multi ad principatus culmen per-
« venientes a virtute deficiunt, qui dum in statu essent
« infimo, virtuosi videbantur (1). »

Ex his igitur colligere quidem non in animo est, a S. Thoma totam seriem officiorum, quæ regum sunt propria, fuisse evolutam; tam copiosa videtur ea materies, ut in libro explicanda esset amplissimo. Meminerimus autem velim brevius a S. Doctore scriptum fuisse de regimine opusculum, idemque missum ad regem christianum, qui optimis jam instructus erat præceptis, et illud quantulumcumque opusculum, perspicuitate sententiarum præceptorumque sapientia et auctoritate plerumque eximium.

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. IX.

CAPUT VI.

De fine principis.

In primis, et merito quidem, statuendum censet S. Thomas, ad qualem finem spectare debeat princeps, qui magna sibi proponit, suoque populo conatur res prosperas subministrare, et mercedem simul sibi comparare amplissimam. Nemo est qui nesciat principibus omni ope elaborandum esse, ut finem ipsius societatis naturæ maxime consentaneum assequantur. Natura autem congregantur homines, ut sive corporis sive mentis utilitati facilius consulant, et a principe, qui societati præest, diligentius adjuventur. Itaque ad principatum duplex attinet officium, finisque duplex, quem in suo opusculo S. Doctor suscipit evolvendum.

Principes manifestum est summa donari potestate, ut omnibus populorum commodis provideant. Eorum est enim prospicere securitati civium, publicas opes magis ac magis adaugere, gentis amplificare imperium, terrorem hostibus injicere, favere bonis artibus, et, ne plura

dicam, patriæ res prosperas ita prosequi, ut illa in dies divitiis, potentiaque et gloria evadat præstantior.

Quamvis S. Doctor eo valeat ingenii acumine, quo ad res occultas et ab ipsa natura involutas inclinatur, de rebus tamen publicis, de opibus principi comparandis, more viri peritissimi fusius disputat. In ipsis enim vitæ commodis, quibus ægre careret hominum societas, totus hujusce opusculi liber secundus versatur, cujus præcipua proferre loca non juvat, sed paucis tantum commemorare.

Aristotelis (1) fretus testimonio, de ædificandis civitatibus disserit, de cœli natura, de aquarum et aeris salubritate, de ciborum delectu et ceteris quæ ad incolarum sanitatem pertinent. In omnibus cum Philosopho et Vegetio, quorum sæpius verba refert, consentit; animadvertendum tamen velim S. Thomam de his singulis quasi in ordine disputavisse, et Aristotelicam doctrinam brevius apertiusque contraxisse (2).

Locorum quidem natura constat non corpora tantum ad diligentiam vel mollitiem, sed indoles etiam atque ingenia ad vitia quædam vel dotes inclinari; eamdem ac Aristoteles de his amplectitur sententiam, nec cum illis scriptoribus consentit, qui homines ex ipsa cœli natura adeo pendere contendunt, ut vix videantur perfrui libertate.

Etsi operæ non mihi videtur esse pretium in his quæstionibus, quas curat evolvendas, immorari, tamen quid de negotiatione sentiat S. Thomas libet longius expendere. Quidam enim scriptor præclarissimus scho-

(1) Aristot., *Polit.*, lib. IV, passim.

(2) *De reg. Pr.*, lib. II, totus.

lasticos philosophos asseverat ita de commercio disputasse, ut, eorum sententiis vulgo approbatis, negotiatio nimis neglecta diutius elanguerit (1).

Non expedit quidem perscrutari utrum, in media ætate, commercium, adjuvante philosophorum doctrina, defecerit, ipsam S. Doctoris in animo est tantummodo proferre sententiam.

S. Thomam nemo est qui non fateatur negotiationi, extraneæ saltem, minime favisse; quod ex ipsis ejus dictis clarius deducitur. Illud autem notandum est ab Aristotele S. Thomam dissentire; alter enim cives jubet neque commercio extraneo, neque omni quæstui indulgere (2), alter vero extraneam solummodo prohibet negotiationem, ex qua tot et tanta sequuntur incommoda.

Civitas, quæ ea premitur necessitate, ut « multa ab « aliis per mercationem accipiat, » humilior atque in quadam vicinorum potestate videtur. Inde etiam oriuntur pericula, quæ illius securitati plurimum officiunt, « quia propter bellorum eventus et diversa viarum « discrimina de facili potest impediri victualium depor- « tatio, et sic civitas per defectum victualium oppri- « metur (3). »

Illud autem philosopho morum optimorum studioso præsertim occurrit, quod « extraneorum conversatione « corrumpuntur plurimum civium mores, et dum cives « exemplo ad agenda similia provocantur, civilis con- « versatio perturbatur (4). » Deinde brevius evolvit quomodo in mentibus ex negotiatione oriri soleat lucri

(1) Montesquieu, *Esprit des Lois*, lib. XXI, chap. xx.
(2) Arist., *Polit.*, lib. I, cap. III, 23; lib. IV, cap. VIII, 2.
(3) *De reg. Pr.*, lib. II, cap. III.
(4) Ibidem.

cupiditas amorque doli, contemni reipublicæ commoda, acrius accendi utilitatis privatæ studium, despici virtus, debilitari atque evanescere militum fortitudo, crescere invidiæ aliaque seditionis semina.

Quamvis igitur ex negotiatione censeat proficisci vitia civium plurima, sic suum tamen sapientissime definit argumentum.

« Nec negotiatores omnino a civitate oportet excludi, « quia non de facili potest inveniri locus, qui sic « omnibus vitæ necessariis abundet, quod non indi- « geat aliquibus aliunde allatis, eorumque quæ in eo- « dem loco superabundant, eodem modo redderetur « multis damnosa copia, si per mercatorum officium « ad alia loca transferri non possent. Unde oportet « quod perfecta civitas moderate mercatoribus uta- « tur (1). »

Quæ omnia huc spectant, ut bonis moribus principes potissimum provideant, curentque ne rerum affluentia indoles corrumpantur. Quanto in his omnibus S. Thomas Aristoteli præstet supervacaneum arbitror indicare.

Quod præterea neque Plato, neque Aristoteles, neque Tullius de republica disserentes animadverterunt, illud in hoc opusculo prædicatur excellentius, ut a quodam scriptore egregio notatur (2). Liberalitatem enim qua nihil pulchrius, nihil utilius, nihilque præstantius, non celebrare modo nititur, sed eamdem principibus erga pauperes exercendam omni opera commendat. Grata quidem est omnium benevolentia, gra-

(1) *De reg. Pr.*, lib. II, cap. III.

(2) Janet, *Histoire de la science politique dans ses rapports avec la morale*, t. I, p. 432.

tior principum benignitas. Principes enim « qui vices « Dei gerunt in terra, præesse debent indigentiis pau- « perum, pupillorum et viduarum, ac advenis et pere- « grinis assistere (1). »

Pauperibus regali munificentia recreatis, non adjuvatur modo divinum opus, sed salus ipsa regum, quorum eleemosynis redimuntur peccata. Quid dicam de ceteris inde sequentibus commodis? Neminem fugit pauperes grato animo principis nomen prosequi, nec regnum turbare seditionibus, nec injuriis pacem minuere, nec nova parare ac meditari.

Quæ quidem commoda S. Thomas magni æstimat, maximi autem illa de quibus nunc disputandum est. Finis quem principes debent persequi præcipuum, in eo est, ut omni opera civium virtutem conentur adaugere. Qua enim sublata, divites inter et pauperes concordia penitus tollitur, deest aliis misericordia et liberalitas, aliis patientia et reverentia, quæ societatis vincula habentur arctissima. Itaque, finem a Deo hominum communitati statutum in memoriam revocans, reges hortatur ut Dei præceptis obtemperent diligentius, et « primo, in subjecta multitudine bonam vitam insti- « tuant; secundo, institutam conservent; tertio, conser- « vatam ad meliora promoveant (2). » Principi igitur curandum est, ut optime suo fungatur munere; quod duabus rebus efficitur, si apta mercede recreantur alii, alii autem pœnis afficiuntur debitis.

« Ad hoc, ait S. Thomas, institutæ sunt potestates, « ut non solum a malis timore pœnarum retrahant,

(1) *De reg. Pr.*, lib. II, cap. xv.

(2) Ibidem, lib. I, cap. xv.

« sed etiam ut ad bonum per præmia alliciant (1). »

Ad illum finem præclarum omnia esse referenda vel ipsis principibus improbis contendit. Quibus enim et invitis ea mente Deus utitur, ut a populis pœnas nonnunquam repetat, et gentes « quas sanabiles fecit » ad meliora conetur reducere. Quo major est eorum potentia, rabies violentior, et graviora suos apud populos vel alias apud gentes congesta ab eis exscidia, eo principes istos clarius liquet nihil aliud esse nisi ultionis divinæ ministros, qui « secundum ordinationem « Dei instituuntur ad inferendas pœnas, licet hoc sit « præter intentum eorum (2). »

Illo igitur fine principibus proposito, quædam apertius explanantur, quæ Aristoteles nec perscrutari valebat, nec explicare. Itaque, quanto commoda spiritualia præstant temporalibus, christianaque doctrina clarissimis antiquorum philosophorum sententiis, tanto Aristotelem de fine principis S. Thomas antecellit. Cuivis igitur populorum annales evolventi, resque perpendenti singulorum prosperas vicissim atque miseras, satis spectatum erit eximiam S. Doctoris sententiam ipsa gentium historia confirmari.

(1) *Comm. de Epist. S. Pauli ad Romanos*, cap. XIII, lectio 1ª in medio.

(2) Ibidem.

CAPUT VII.

Quomodo Ecclesia et principes sese mutuo habere debeant?

Priusquam difficillimam aggrediamur quæstionem, quæ nobis occurrit tractanda, in memoriam facta quædam juvat brevius revocare, ut hujusce temporis historia et ideo politica S. Thomæ doctrina sedulo explicetur.

Nemo est qui nesciat rusticas mediæ ætatis gentes, maxima rerum perturbatione labefactatas, auctoritate indiguisse potentissima, quæ sive inter principes, sive principes inter et subjectos, dijudicatis controversiis, pacem componeret. Nullam autem reperire erat potestatem illi juris tutelæ aptiorem Ecclesia, quæ ab omnibus Europæ populis excolebatur. Quapropter ea summorum Pontificum auctoritas, hujusce societatis temperationi prorsus consentanea, ipsis legibus maximos apud populos, Germanos scilicet atque Anglos mandabatur.

Præterea, omnes norunt Siciliam, Aragoniam, Angliam aliaque regna diu tanquam feuda Sanctæ Sedi fuisse obnoxia, ibique reges coronam a Pontificibus accepisse (1).

Quantum autem illis populis proficeret illa auctoritas vix commemoremus oportet (2); immodica regum potestas coerceri solebat, servari subditorum libertas, christiana fides optimique mores defendi, propugnari Ecclesiæ immunitates, pariter et jura minimorum populorum, qui, hujus patrocinii gratia, suis legibus uti valebant; nec illud ipsi scriptores infensi Ecclesiæ fateri dubitant. Iisdem enim prudentior arbiter non videbatur eligendus, quum rerum inter populos tractandarum peritia penitus ignoraretur, nec satis compertum esset quomodo gentes Europæ pari jure possent retineri.

Imperator quidem cui tanta dignitas a summis Pontificibus deferebatur, diu in placandis populorum dissensionibus Ecclesiam conatus erat adjuvare; quando autem ipse hæresi, tyrannidi aliisque vitiis indulgebat, summi Pontifices libertatis propugnatores remanebant tutissimi. Diuturnam contentionem Imperatores inter et Pontifices exortam, pactio Wormatiensis anno MCXXII nequaquam placavit, domusque Suevica ab Italis adeo labefactata fuit, ut inde secutum fuerit magnum interregnum multaque imperialis potentiæ imminutio. Anno circiter MCCLXX, quando auctor, quicumque sit, opusculi *De regimine Principum* inscripti, suam protulit doctrinam, imperialis auctoritas tot et tantis pertur-

(1) Gosselin, *Du pouvoir des Papes au Moyen-âge.*

(2) Ch. Jourdain, *La philosophie de saint Thomas,* t. II, p. 461 et suiv.

bationibus propemodum fuerat abrogata, nullaque apud populos valebat existimatione. Non est igitur mirum, si pontificalis potentia scriptori hujusce opusculi tanquam unicum atque supremum christianæ societatis perfugium apparet, Pontificibusque tota potestas libentius tribuitur, qua cum illis uti nesciverunt Imperatores.

Alii vero rati pacem populorum a dignitate imperiali pendere, omnia Imperatoribus putabant instauranda. Dantes enim ea de re longius disserit (1), totamque spem suam in Henrico septimo Liciburgensi reponit. Quid autem plura; præstitit pontificalis auctoritas apud populos qui christianam profitebantur religionem, tantoque Ecclesiam prosequebantur studio, ut ejus arbitrium requirere solerent et auctoritati parere.

His dictis, ad propositum veniamus. Condita a Christo Ecclesia, duas exstitisse constat potestates, quarum alteri cura spiritualium, temporalium autem alteri commissa est. Quamvis propria sint utriusque jura, finis peculiaris, disparesque ministri, utraque tamen eosdem apud populos simul sua valeat auctoritate necesse est, et proinde quædam inter eas intercedat communitas. Itaque, ex omnibus scriptoribus, qui de principatu disputaverunt, nullum forsan reperire est, qui non susceperit perpendendum quomodo principes cum Ecclesia sese habere debeant. Mea quidem non est in mente ut de variis eorum sententiis disputem, ea de re longius disseruerunt doctiores; quædam tamen, duce S. Thoma, arbitror explicanda, evolvendamque opinionem, quam omnes mediæ ætatis scriptores quum ingenio tum sanctitate præclarissimi celebrare conati sunt.

(1) Dantes, *De monarchia. Vide præsertim*, libros II et III.

Neminem eo tempore fugiebat Deum hominum societati et Ecclesiæ simul præesse, quarum supremus est creator, nec ullam nisi ab illo acceptam sive apud gentes sive apud christicolas valere auctoritatem, et idcirco principes Summosque Pontifices Dei ministros haberi.

Itaque eo spectant varia utriusque potestatis officia, ut homines finem a Deo propositum facilius assequantur. Hinc enim civium tutari vitam, bona famamque propugnare, omnia disponere, ut societas nunquam vacet justitia, quin etiam ad honestatem in dies fiat aptior, illud principis dotibus eximii ducendum est; illinc mentes ad altiora erigere, salutemque hominum ita curare suscipiendam, ut, non præbitis modo præceptis, sed etiam exemplis, omnes excolantur virtutes, Ecclesiæ opus est excellentissimum. Quapropter potestatem utramque duabus sororibus licet æquiparare, quæ ad opus commune se conferunt; altera autem temporalibus commodis, spiritualibus altera consulit. Sua igitur cuique officia, suus cuique labor, suus cuique finis; et neutri neutrius neque servitutem neque dominationem decet esse accipiendam.

Quænam autem sit ea de re S. Thomæ sententia?

Cavet S. Doctor summopere ne sacra cum profanis commisceat; alia enim ab aliis non repugnantia quidem, sed disparia sæpius profitetur, regumque pariter et Pontificum munia nititur sedulo disjungere (1). Si principes Summo Pontifici nonnunquam contendit esse obnoxios, de re spirituali, non autem temporali, Ecclesiæ auctoritatem prædicat. Libet enim audire quanta sapientia suam de his explicet sententiam, et omnia, quæ contra dici possunt, diluat Doctor ille præstantissimus.

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. XIV; lib. III, cap. X.

« Potestas spiritualis et sæcularis utraque deducitur a » potestate divina, et ideo in tantum sæcularis potestas » est sub spirituali in quantum est ei a Deo supposita, » scilicet in iis quæ ad salutem animæ pertinent : et ideo » in iis magis est obediendum potestati spirituali quam » sæculari : in iis autem quæ ad bonum civile pertinent, » est magis obediendum potestati sæculari quam spiri- » tuali (1). » Inde satis manifestum est neque apertiorem requiri posse sententiam, neque rerum naturæ accommodatiorem.

Ita et ipsi senserunt Pontifices, qui affectatæ theocratiæ fuerunt maxime insimulati. « Non intendimus, ait » Innocentius tertius, judicare de feudo..... sed decer- » nere de peccato cujus ad nos pertinet sine dubitatione » censura, quam in quemlibet exercere possumus et » debemus (2). » — « Dicimus, inquit Bonifacius octa- » vus, quod in nullo volumus usurpare jurisdictionem » regis..... Non potest negare rex, seu quicumque alter » fidelis, quin sit nobis subjectus ratione peccati (3). »

Quamvis autem res ita se haberet, tamen in media ætate, populis Ecclesiam obsequio prosequi consuetis nullus arbiter non in rebus tantum spiritualibus, sed in dissensionibus subditos inter et principes exortis, videbatur Summo Pontifice gravior, neq ullam fere reperire erat gentem quæ illud non peteret patrocinium (4). Memoriæ enim proditum est, ne alia commemorentur exem-

(1) 2 D. XLIV, q. 2, a. 4.

(2) Innocentius III, *Epist. ad regem et episcopos Franciæ. In Decret.*, lib. II, tit. 1 et epist., I. VI, 163.

(3) P. Dupuy, *Hist. du différend entre Boniface VIII et Philippe le Bel. Preuves*, p. 77.

(4) Montalembert, *Les Moines d'Occident*, t. VI, cap. v.

pla, Saxones ab Henrico quarto vexatos in fidem et clientelam Gregorii septimi sponte sua se contulisse, qui suam interponeret auctoritatem. Regum etiam plurimi intererat suas causas ab eo judice dirimi, qui æquitatem ad indulgentiam accommodaret; nec ullus princeps de hujusce tribunalis dubitabat auctoritate, quam ipse Henricus quartus, a Gregorio septimo damnatus, professus est. Illud autem munus Summo Pontifici *libentius* a populis oblatum, qui suarum necessitatum pariter ac illius sapientiæ haud nescii ad arbitrum confugiebant prudentissimum, omnium consensu fuit confirmatum, et a sæculo octavo ad sæculum undecimum in jus Europæ publicum sensim mutatum (1).

Dicet autem forsitan quispiam : esto, ab ipsis populis arbiter electus Summus Pontifex lites exortas jure dirimebat, ei vero non licebat regno, ut res nonnunquam accidit, principes spoliare; nemo est enim qui nesciat quanto discrimine hoc arbitrium de illa auctoritate immoderata discrepet; hinc igitur jus, illinc injuria.

Gravior est quidem quæstio, quam ut in ea diutius non immoremur, altiusque rem non repetamus. Ab historicis enim accipimus regem inter et suos subjectos, in media ætate, plerumque prius pactum quoddam confectum fuisse, quam regnum occuparetur. Rex christianæ fidei favere, Ecclesias tutari, bonos mores servare, viduis providere atque orphanis se conaturum coram suis subjectis sacramento confirmabat; deinde dignus habebatur, qui coronam acciperet. Itaque nemini dubium erat, quin pactum ab ipso rege ruptum rumpere subjectis ejus liceret, ut ait quidam scriptor coœ-

(1) Montalembert, *Les Moines d'Occident*, t. VI, p. 559.

taneus : « *Ergo absque Sedis Apostolicæ judicio prin-*
« *cipes eum pro merito refutare possunt, quum pactum*
« *adimplere contempserit, quod eis pro electione sua pro-*
« *miserat; quo non impleto, nec rex esse poterat* (1). »
Quando autem non de regia potestate agebatur, sed de corona imperiali, qua principes a Summo Pontifice donabantur, imperatorem decebat ab ipso deponi, qui eum ad tantam dignitatem produxerat.

Res enim ita se habebat; princeps qui a fide christiana, a moribus optimis, a suo sacramento deficiebat, excommunicatione afficiebatur a Summo Pontifice, si semel et sæpius admonitus ad meliorem mentem voluntatemque abnueret redire; deinde, nulla illi licebat uti fidelium consuetudine, et omni dignitate spoliabatur atque auctoritate, nisi anno post promulgatam sententiam culpa liberaretur. Hasce pœnas oriri ex excommunicatione inter omnes constabat; quin etiam easdem in ipsis plerarumque gentium legibus reperire erat adscriptas (2). Quando igitur Summus Pontifex, pœnitentiæ elapso tempore, principem pronuntiabat regno spoliatum, nemo erat qui miraretur; populi enim regi excommunicato pactique ruptori obedientiam prorsus denegabant. Imo ab historicis accipimus Saxones objurgare non dubitavisse Gregorium septimum, quod diutius ad pœnitentiam Henricum quartum hortaretur et pœnam in dies produceret.

Rarissimi quidem principes regno fuerunt spoliati; sed vix ullum reperias, qui pœna, nisi fidem christianam,

(1) Paulus Bernried, *Vita S. Gregorii VII* (Patrol. lat., édition Migne), t. CXLVIII, col. 86. Voigt, *Vita S. Gregorii VII.*

(2) Gosselin, *Du pouvoir des Papes au Moyen-âge*, p. 418-628 et passim.

mores optimos, suumque jusjurandum contempsisset, afficeretur. Quæ quidem opinio ita mentibus erat insita, ut in Gallia, absoluto fere sæculo decimo sexto, Henricus noster quartus regnum non potuerit adipisci, quin fidem catholicam fuerit amplexus; nec ea de re erat controversia.

« Nihil est enim mirum, ait Fenelo, si gentes catho-
« licæ religioni quam maxime addictæ principis excom-
« municati jugum excuterent. Ea lege sese principi sub-
« ditas fore pollicitæ erant, ut princeps ipse catholicæ
« religioni pariter subditus esset. Princeps vero qui ob
« hæresim, vel ob facinorosam et impiam regni admi-
« nistrationem ab Ecclesia excommunicatur, jam non
« censetur pius ille princeps cui tota gens sese commit-
« tere voluerat : unde solutum sacramenti vinculum
« arbitrabantur (1). »

Cui sententiæ omnes illos favisse constat, qui damnatos a summis Pontificibus principes maximo prosequebantur studio simulque alienum ab Ecclesia animum habebant; ita sentiebat quisque princeps solium adeptus, nec ab sententia decedebat, nisi ipse damnaretur. In ea re nos juvat immorari.

Ubi princeps regnum erat occupaturus, clerus, optimatesque et populus in communem cœtum solebant convenire, nec eum prius regem appellare, quam sacramento ille confirmasset se pactionem cum gente confectam sub-

(1) Fenelo, *De Summi Pontificis auctoritate,* cap. XXXIX. — Montalembert, *Les Moines d'Occident,* t. VI, chap. V, p. 572. « C'était là le droit public universel et incontesté du Moyen-âge, droit public reconnu, accepté par tous les pouvoirs temporels, comme par la puissance spirituelle, et adopté par le consentement unanime des peuples, et tout particulièrement du peuple allemand. »

jectorumque immunitates servaturum. Quin etiam, quum non satis videretur rerum potiri, nihil antiquius habebat quam ut consecraretur; tunc enim non hæreditatis solum, sed electionis etiam et consecrationis jure rex habebatur. Quoties, rege defuncto, alius princeps regnum erat adepturus, toties pactum rursus revocabatur, novæque conscribebantur conditiones; jus illud commune hisce verbis a S. Thoma exprimitur : *Providere sibi de rege.*

« Si ad jus multitudinis alicujus pertineat sibi pro-
« videre de rege, non injuste ab eadem rex institutus
« potest destitui vel refrenari ejus potestas, si potestate
« regia tyrannice abutatur. Nec putanda est talis mul-
« titudo infideliter agere tyrannum destituens, etiam si
« eidem in perpetuo se ante subjecerat; quia hoc ipse
« meruit in multitudinis regimine se non fideliter gerens
« ut exigit regis officium, quod ei pactum a subditis non
« reservetur (1). »

Nonne autem S. Thomas ad summam multitudinis potestatem seditionisque præconium propensior videtur inclinare? Nonne, tyrannide non apertius statuta, obliviscitur ea de re errorem esse facillimum, et inde sequi gravissima?

Non ita quidem; omnibus manifestum est quanto discrimine noster philosophus ab his dissentiat, qui gentibus jus principem, vel sine causa, evertendi, possent attribuere. S. enim Thomas principi obsistere non sinit *nisi auctoritate publica*, et populos hortatur ut de suis injuriis cum arbitro prius expostulent, quam regibus palam adversentur.

Quemnam autem S. Thomas arbitrum indicat, qui

(1) *De reg. Pr.*, lib. I, cap. VI.

dirimat contentionem et suum cuique litigatori tribuat? « Si ad jus alicujus superioris, ait, pertineat multitu- « dini providere de rege, exspectandum est ab eo « remedium contra tyranni nequitiam (1). » Illum superiorem, ut supra dictum est, qui principes inter et subjectos pacem componeret, Summum Pontificem esse apud gentes christianas in media ætate constabat; præterea, in regnis, quæ feuda habebantur, domini sententiam « de tyrannorum nequitia » S. Thomas petendam esse prædicat ejusque auctoritati obtemperandum.

Hic vero et illic apud S. Thomam quædam verba occurrunt, quæ nobis possent objici : « Pontifici omnes « reges populi christiani oportet esse subjectos (2), » « omne supergreditur dominium (3), etc. Si hæc loca diligentius perlegeris, haud multo post animadverteris sic intelligenda : S. Doctor de spirituali auctoritate loquitur, quæ, « *ratione delicti, ratione peccati, ad bonum totius fidei, pro utilitate gregis pronuntiabat,* vel de potestate imperiali, quæ, *ex judicio Papæ dependebat* (4), » vel de ipso arbitri munere.

De maxima utilitate, quam gentes ex illo arbitro comparabant, ne hodie quidem errant avida in novas res ingenia, ubi, remotis præjudiciis, vel minime secum reputant. Testimonium igitur cujusdam scriptoris, qui in crimen majoris erga Ecclesiam studii nequaquam vocari potest, juvat ipso sermone gallico referre (5).

(1) *De reg. Pr.,* lib. I, cap. VI.

(2) *De reg. Pr.,* lib. I, cap. XIV.

(3) *De reg. Pr.,* lib. III, cap. X, XVIII, XIX.

(4) Ibidem.

(5) « En élevant les rois au-dessus de toute juridiction ecclésiastique, vous avez cru placer les trônes dans une région inaccessible

Illam igitur doctrinam, quam mediæ ætatis scriptores celeberrimi et in primis S. Thomas christianis gentibus eo tempore accommodatissimam haud immerito profitentur, ab injusto crimine curavimus pro virili parte vindicandam; et idcirco clarissimus noster philosophus neque theocratiæ patronus habendus est, neque fautor democratiæ accerrimus. Quando autem postea, a novatoribus in Europa rebus mutatis, nonnullæ inter potentissimas gentes antiquam unitatem respuent, mutabuntur et priscæ consuetudines probataque olim agendi ratio; itaque peracto quorumdam populorum discidio, non abs re alienum videtur commemorare S. Thomæ doctrinam in gentes a fide catholica dissidentes nullatenus cadere, Summosque Pontifices illa auctoritate, qua, durante medio ævo, tanquam arbitri fruebantur, jam uti nec posse nec velle.

aux orages. Cette erreur fait pitié. L'émancipation du pouvoir papal ne change rien à la nécessité d'un contrôle; elle le transporte au Parlement d'abord, puis à la multitude. Le moment vint en France où la nation s'aperçut que l'indépendance des rois, c'était la servitude des peuples. La nation alors se leva indignée, à bout de souffrances, demandant justice. Mais les juges de la royauté manquant, la nation se fit juge elle-même, et l'excommunication fut remplacée par un arrêt de mort. » (Louis Blanc, *Histoire de la Révolution,* t. I, p. 252.)

CAPUT VIII.

De S. Thoma atque Ægidio romano.

Quam de principatu doctrinam, duce S. Thoma, curavimus exponendam, Ægidius etiam in libro *De regimine Principum*, explicuit.

Ægidius Columna dictus, anno MCCXLVII natus, theologiam philosophiamque apud S. Thomam eo studio Romæ didicit, ut clarissimus Angelici Doctoris auditor ab historicis fuerit celebratus. Fratribus Eremitis S. Augustini adscriptus magnam sibi laudem virtute et doctrina comparavit; quamobrem Philippo Pulchro optima morum disciplina artibusque ingenuis informando fuit præpositus, et, eo jubente, librum *De regimine Principum* conscripsit. Multis insuper editis aliis operibus, Bituricensis Ecclesiæ creatus est archiepiscopus, annosque natus LXIX animam efflavit.

Mea quidem non est in mente, ut Ægidium cum Aristotele conferam, cujus vestigiis ipse fatetur plurimis in locis

insistere (1); illud ad meum propositum non attinet; inquiram autem utrum frequentissimus ille S. Thomæ discipulus magistrum suum de re politica fuerit secutus, ejusque doctrinam imitando expresserit, necne.

Longiorem quidem atque absolutiorem S. Thomæ opusculo librum Ægidii haud difficile deprehendas, quippe qui et re diligentius elaborata, et ipso quæstionum ordine, et perspicuitate argumentorum præstet. « Ostendit enim « primum, quomodo quilibet homo se ipsum regere de- « beat; deinde, quomodo debeat suam familiam guber- « nare; denique, quomodo præesse debeat civitati et « regno (2); » quorum prima pars *Ethica* sive *Monastica* inscribitur, secunda vero, *Æconomica,* tertia tandem, *Politica.* Etsi autem quadam arte fuit confectus ille liber, multas tamen S. Thomæ sententias reperire est, quas ita in animo habet insitas Ægidius, ut eas quasi suas proferat.

Quam pluribus in capitibus quæstionem explicat Ægidius (3), eamdem apud S. Thomam (4) legimus; discipulus haud secus ac magister principibus finem indicat, qui neque in voluptatibus, neque in divitiis, neque in honoribus et gloria, neque in ipsa potentia ponendus est.

Quando de *virtutibus* principi colendis disputat Ægidius, S. Doctorem imitari nititur, virtutesque christianas duodecim virtutibus ab Aristotele descriptis accommodare (5).

(1) Vide thesim a Courdaveaux anno 1857 editam : *Doctrina Ægidii de regimine Principum.*

(2) Ægidius, *De regimine Principum,* lib. I, pars 1ª, cap. II.

(3) Ægidius, lib. I, pars 1ª, cap. VI, VII, VIII, IX, X, XI, XII, XIII.

(4) S. Thomas, *De reg. Pr.,* lib. I, cap. VII, VIII, IX... Summa theol. 1ª 2ᵉ, quæst. 1ª et 2ª.

(5) Ægidius, lib. I, 2ª pars. — S. Thomas, *Summa theol.* 1ª 1ᵉ, quæst. 81, art. 2.

Duodecim etiam *passiones* ex amore et odio deducit ipsa S. Thomæ fultus auctoritate, qui decem tantum, omissis aversione et mansuetudine, numeraverat (1).

Animadvertendum autem arbitror Aristotelem a S. Thoma Ægidioque, de virtutibus et passionibus, nimia procul dubio imitatione, pedetentim et religiose fuisse prolatum; quorum alter illam philosophi disputationem curat explendam, alter vero peripateticæ doctrinæ nihil, et immerito quidem, censet addendum.

Quanto etiam de uxore ducenda S. Thomas sapientius Ægidio disserit, qui maximo Aristotelis captus studio, nihil antiquius habere videtur, quam ut integram referat magistri sententiam, silentioque prætermittat quid honesti egregiique veterum moribus commodet christiana religio. Non alius tamen liberos regendi modus apud S. Thomam atque Ægidium.

Ubi autem de servis agitur, servitutem naturalem ab Aristotele prædicatam Ægidius non respuit apertissime, quippe qui a magistro non diversus satis illud asseverare non dubitaverit : « sunt aliqui naturaliter domini et aliqui naturaliter servi (2). »

Præstentior est S. Thomæ sententia; multo mitiori modo habendos esse servos contendit; rationemque habendam « legum quæ sunt domini ad servum (3). »

De ædificiis instruendis, de salubritate aquarum, de pecuniis, de regum ministris, idem uterque sentit (4).

(1) Ægidius, lib. I, pars 3ª, cap. 1. — S. Thomas, 1ª 2ᵃᵉ, q. 22, ad quæst. 48.

(2) Ægidius, lib. II, pars 3ª, cap. XIII, XIV.

(3) S. Thomas, 2ª 2ᵃᵉ, q. LVII, art. 4.

(4) Ægidius, lib. II, pars 3ª, cap. III, IV, IX, XVI et seq. — S. Thomas, *De reg. Pr.*, lib. II totus.

Manifestum est igitur, ut opinor, S. Thomæ doctrinam perspicue hic et illic ab Ægidio fuisse prolatam; plurima autem in tertia parte secundi libri ex opusculo clarissimi Doctoris desumpta fuerunt.

Homines natura ad societatem natos esse ipsis S. Thomæ argumentis demonstrat, quorum duo præcipua juvat referre, « vitæ necessitatem usumque locutionis. »

« Est necessarium homini, quod in multitudine vivat, « ut unus ab alio adjuvetur (1). »

Apud Ægidium autem legitur : « In una domo vel in « uno vico non reperiuntur omnia quæ ad vitam suffi- « ciunt; ideo fuit civitas constituta habens plures vicos, « in quorum uno exercetur ars fabrilis, in alio textoria, » in alio aliud, secundum quod variis indigemus ad « supplendum indigentiam vitæ (2). »

« Proprium est hominis, ait S. Thomas, locutione uti, « per quam unus homo aliis suum conceptum totaliter « potest exprimere. Alia quidem animalia exprimunt « mutuo passiones suas in communi, ut canis in la- « tratu, etc. (3). »

Ægidius autem : « Homo est naturaliter animal so- « ciale, eo quod per sermonem acquirimus instructionem « et disciplinam, et eo quod vox humana, quæ dicitur « sermo, est aliter significativa quam vox brutorum : « canis enim eo quod latrat, aliter latrat quum delectatur « et quum tristatur, etc. (4). »

Ex omnibus argumentis quæ a S. Thoma afferuntur

(1) S. Thomas, lib. I, cap. I.

(2) Ægidius, lib. III, 1ª pars, cap. II.

(3) S. Thomas, lib. I, cap. I.

(4) Ægidius, lib. III, 1ª pars, cap. IV.

pleraque non commemoranda tantum curat Ægidius, sed evolvenda longius atque explicanda.

Nullam vero majoris momenti, nullamque toties ab omnibus philosophis prolatam fuisse arbitror, quam hanc quæstionem : Qualis sit potestatis origo? Ea de re discipulum cum magistro libet conferre.

A Deo, ut diximus, oriri potestatem multis argumentis quum e Scriptura sacra, tum e ratione desumptis S. Thomas sedulo demonstrat, sed civem virtutibus probatissimum sæpius profitetur multitudini eligendum, qui rempublicam sapientissime regat.

De illa quæstione gravissima in libro *De regimine Principum* prorsus silet Ægidius. Quæ autem apud Aristotelem de variis principatus generibus, quæ apud S. Thomam de uniuscujuscumque commodis atque incommodis explicantur, eadem commemorantur ab Ægidio, qui unius dominationem iisdem ac S. Thomas argumentis contra Aristotelem probat cuivis regimini anteponendam (1). Nescio an inter hæc tria utriusque argumenta discrimen reperias vel minimum : 1° « Unitatem ma-
« gis efficere potest quod est per se unum, quam
« plures; »

2° « Naturale regimen ab uno est. »

3° « Hoc etiam experimentis apparet : nam provinciæ
« vel civitates, quæ non reguntur ab uno, dissensioni-
« bus laborant..... E contrario, quæ sub uno rege re-
« guntur, pace gaudent, justitia florent, et affluentia
« rerum lætantur (2). »

(1) S. Thomas, lib. I, cap. I, II. — Ægidius, lib. III, 2ª pars, cap. II.

(2) S. Thomas, lib. I, cap. II. — Ægidius, lib. III, 2ª pars, cap. III.

Hic et illic eamdem disputationem legere est, easdemque ex nave, apibus, corde et ratione ductas similitudines.

Ubi autem de regno per hæreditatem aut per electionem transferendo disserunt, alter ab altero dissentit. Etsi enim omnia, quæ ex hæreditate sequuntur, commoda, plurimi S. Thomas æstimat, nullatenus tamen improbat electionem, quin etiam haud invitus prædicat; nullus autem Ægidio acrior habetur hæreditatis propugnator.

Inquirit longius, ut vidimus, S. Thomas, utrum « romano pontifici reges populi christiani oporteat esse « subjectos; » illud ab Ægidio prætermittitur, qui S. Doctoris tamen fultus auctoritate de tyrannis disputat (1).

Priusquam autem de utroque sermonis finem faciam, illud in primis S. Thomam inter et Ægidium velim animadvertendum, magistrum scilicet atque discipulum modo demonstrandi prorsus diverso usos fuisse. Alter enim sacræ Scripturæ testimonio sua confirmare conatur argumenta, alter vero, solis rationis viribus innixus, ita disserit, ut nullum argumentum e Sacris Codicibus hauriat; itaque, ne plura dicam, a magistro theologicas quæstiones simul et philosophicas manifestum est explicatas fuisse, a discipulo tantum philosophicas. Præterea, quamvis liber Ægidii *De regimine Principum* eodem S. Thomæ opusculo longior sit perfectiorque videatur, quædam tamen in eo, ut dictum est, desiderantur; sed scriptor ille majori obsequio regem Galliæ Philippum

(1) S. Thomas, lib. I, cap. III, V, VI, X, XII. — Ægidius, lib. III, 2a pars, a IXo cap. usque ad XVum.

excolit, quam ut de quibusdam eadem ac S. Doctor sapientia, eadem animi amplitudine, eadem verborum perspicuitate disputare audeat, vel de aliis prorsus silere non dubitet.

CAPUT IX.

De S. Thoma atque Bossuetio.

Ea S. Thomæ doctrina non solum in media ætate accuratius fuit explicata, sed abhinc a celeberrimis prolata philosophis, qui ab eo proficiscuntur.

Ne autem sim longior, ex omnibus scriptoribus, qui in Gallia, durante sæculo decimo septimo, laudem adepti sunt tam egregiam, nullum arbitror Bossuetio discipulum fuisse S. Thomæ præstantiorem. Ceteris igitur omissis, de principatu juvat, nec forsan immerito, discipulum cum magistro brevius conferre; uterque eminet ingenio, uterque doctrina, uterque tandem suum de re politica librum carissimo principi curavit mittendum.

Bossuetius Scripturæ sacræ studiosus, summa ejus auctoritate semper nititur sua confirmare argumenta; idcirco a S. Thoma vel minime diversus omnem potestatem oriri a Deo prædicat. Quin etiam, tanto laudis præconio regiam celebrat majestatem, ut eam plurimum

miratus, reges exhibeat quasi religione excolendos, modumque videatur in quibusdam excedere.

Homines ad societatem inter se ineundam natos esse atque destinatos S. Thomas probaverat; illud Bossuetius iisdem rationibus demonstrat, quæ ex eodem fine omnibus proposito, ex eadem omnium natura atque utilitate deducuntur. Caritatem præterea contendit præcipuum esse fundamentum, quo communitas hominum innititur, caritatem scilicet, qua alios ab aliis Deus, omnium Creator jubet excoli (1).

Tres principatus modi a Bossuetio indicantur, quum bene geritur respublica; nullus vero, quum male. De aristocratia atque democratia vix disserit philosophus ille clarissimus; multa autem de regno notanda libentius exponit, quippe qui librum suum ad regalem discipulum componat. Regiam quidem potestatem antiquissimam esse testatur, frequentissimamque et naturæ maxime accommodatam, nihilque antiquius habet, quam ut laudibus eamdem extollat.

Videtur tamen a S. Thoma discrepare Bossuetius; alter enim hæreditati favet, sed electioni etiam, ut dictum est, non dubitat assentiri; alter vero præstantissimus monarchiæ propugnator habetur. Bossuetius regnum Galliæ in primis intuetur, et de potestate filiis natu majoribus transmittenda, longius disputat. Ab Ægidio forsan argumenta transfert, quibus hæreditas tanto laudum præconio celebratur. Illa ex triplici fonte oriuntur : *ex parte populi,* qui, remotis discordiis, facilius principum mandatis obtemperat; *ex parte regis,* qui regno consulens, consulit

(1) Bossuet, *Politique tirée de l'Écriture,* lib. I, art. 1, prop. 2, 3, 4, 5.

et filiis suis; *ex parte regalis familiæ,* cujus dignitate capti sæpius populi reges studio atque obedientia conantur prosequi (1).

Quo potentior evadit monarchia, eo majus regibus inest adaugendi imperii studium; itaque de regionibus bello occupatis instituitur disputatio, qua jus illud vetustissimum statuitur, multæque evolvuntur ejusdem juris conditiones (2).

Etsi autem regnum plurimi facit Bossuetius, nullum aliud regimen arbitratur respuendum, quod jure conditur et, populis haud invitis, exercetur honeste (3); quæ quidem sententia ipsam S. Thomæ doctrinam redolet

De fine, qui principi proponitur, de virtutibus, quæ illi colendæ sunt, nihil a S. Thoma dissentit Bossuetius; longiorem vero de dotibus regi idoneis facit sermonem, necnon de scientiis quas studio debet amplecti (4).

In ceteris S. Thomam atque Bossuetium patet consentire.

Quonam autem modo Ecclesia et principes sese debeant habere, nobis liceat longius ex Bossuetio exponere; quippe qui a S. Thoma plurimum discrepet.

Nemo est qui nesciat qualem doctrinam ea de re anno millesimo sexcentesimo octogesimo secundo Bossuetius professus fuerit; eamdem in libro de *Politica* reperias summatim expressam. Tanta enim reges valere potestate prædicat, ut nemini prorsus sint obnoxii, qui

(1) *Politique tirée de l'Écriture,* lib. II, art. I, prop. 8, 9, 10, 11.

(2) Ibid., lib. II, art. II, prop. 1, 2.

(3) Ibid., lib. II, art. I, prop. 12.

(4) *Politique tirée de l'Écriture,* lib. III, art. III...; lib. IV, art. I, II...; lib. V, art. I, II, III.

eorum sententias in medium queat vocare, ab eis reposcere reipublicæ rationem et pœna, si res postulat, eos afficere (1). Hinc, omnino respuitur regimen illud temperatum, quod civium concordiæ regnique et privatorum utilitati S. Thomas accommodatissimum celebraverat; illinc, nemini, ne summis quidem pontificibus jus illud condonatur, quo, durante media ætate, Ecclesia, haud invitis gentibus, usa est (2). Mutatis quidem populorum conditionibus, multa procul dubio erant mutanda; sed frenum desideratur, quo reprimi possint regum libidines atque arbitrium.

Maxima tamen Bossuetium inter et alios summæ potestatis fautores interest dissimilitudo. Illud enim a principibus expetit clarissimus noster philosophus, ut legibus obtemperent, suas cohibeant cupiditates, Deumque reverentia simul et timore excolant, nedum huic tyrannidi faveat, quæ nullum modum retinet. Nonne longius de bonitate disserit, de dulcedine, de clementia, aliisque virtutibus, quibus populorum amorem atque existimationem reges sibi solent conciliare (3)? Nonne tyrannis pœnas a Deo, tutissimo justitiæ patrono, et a gente plus æquo vexata irrogatas sæpius minatur (4)?

Inde sequitur illum summæ potestatis præconem,

(1) *Politique tirée de l'Écriture*, lib. IV, art. I, prop. 1, 2, 3.

(2) Bossuetius tamen non illam prorsus improbat opinionem, qua Pontificum potestas de principibus fuit explicata, scilicet *jure publico* et *excommunicationis pœna;* nec negat Ecclesiæ obnoxia fuisse quædam regna, dignitatemque imperialem.... Défens. Declar., lib I, cap. XVI; lib. III, cap. XXIV.

(3) *Politique tirée de l'Écriture*, lib. III, art. III, prop. 1, 4, 12, 13.

(4) Ibid., lib. III, art. III, prop. 6, 14; lib. IV, art. II, prop. 4.

regum tamen in memoriam præcipua revocasse officia, a quibus non licet declinare, et in paucis tantum a S. Thoma dissentire. Itaque, idem illatum utrique crimen iisdem abnuere juvat argumentis.

Scriptor (1) quidam haud contemnendus sententiam S. Thomæ atque Bossuetii de servis vehementius objurgat, et miratur quod illis duobus philosophis, quorum alter virtutibus, alter episcopali dignitate, uterque ingenio inclaruerunt, multo præstiterit ipse paganus Aristoteles. Hic enim servitutis originem ipsi naturæ consentaneam esse contendit; et, quemadmodum animalibus hominem, animam corpori decet imperare, ita hominibus corporis robore valentibus homines mentis dotibus egregios; unde oritur, ut alii ad servitutem, alii vero ad dominationem nati sint atque destinati. Aristotelis quidem sententiam excutere non libet, sed perpendere tantum quamnam ea de re S. Thomas et Bossuetius professi fuerint doctrinam.

Illos quidem S. Thomæ placet servos exsistere, qui clade accepta, in dominium victoris reducti fuerunt; is enim mos apud veteres vigebat, ut victori, absolutis præliis, nece liceret captivos afficere, et, si vitam hisce miseris condonaret, clementia uteretur maxima. Unde, si nominis descriptioni minime accipiendæ creditur, ex S. Thoma et Bossuetio vox *servus* oritur a verbo *servare,* quod non necabantur captivi, sed ab hoste benigno *servari* solebant.

Eadem voce liquet in sermone latino tria significari ut egregius quidem scriptor animadvertit (2), scilicet :

(1) *Histoire de la science politique,* par Paul Janet, t. I, p. 431-446.

(2) Jourdain, *La philosophie de saint Thomas,* t. I, p. 419.

servos, quales apud veteres habebantur, vel agricolas mitiori obnoxios servituti, vel domesticos. Hac igitur voce usurpata, de ipsis ævi medii agricolis, de domesticis, non autem de servis antiquis S. Thomæ sæpius in animo erat disserere. Præterea, ubi de ipsis servis agitur, constat quanto discrimine Aristoteles et S. Thomas Bossuetiusque inter se differant. Adeo servus apud S. Doctorem non est res domini, qua uti vel abuti liceat, ut alteri jura, officia autem alteri sedulo vicissim exponantur. Quis negare non vereretur illum servis providere, qui talia libentius profitetur?

« Tenetur homo homini obedire in his quæ exterius « per corpus sunt agenda... servus domino in his quæ « pertinent ad servilia opera exequenda (1).

« Est homo alterius servus, non secundum mentem, « sed secundum corpus (2). »

Multo plures in promptu habeo sententias, quibus aperte constat S. Thomam de antiqua servitute nullatenus disputare.

At vero, dicet fortasse quispiam, apud S. Doctorem legimus ipsa natura servitutem exsistere : « Probatur esse aliquos omnino servos secundum naturam (3); » « dominium hominis super hominem est naturale (4). » Cuivis autem prædicta hujusce libri loca perlegenti manifestum est, hinc ipsam Aristotelis doctrinam quasi ad verbum fuisse relatam, illinc disputationem « de servitute introducta propter peccatum » institutam. Nonne

(1) *Summa theol.*, 2ª 2ᵃᵉ. Quæst. CIV, art. V concl.

(2) Ibidem. Quæst. CXXII, art. IV ad 3ᵘᵐ.

(3) *De reg. Pr.*, lib. II, cap. X.

(4) Ibidem, lib. III, cap. IX.

enim cum ratione pugnat S. Thomam Aristoteli de multiplici hominum natura assentiri, et christianæ adversari doctrinæ, quæ omnes homines natura pares prædicat? Eamdem sententiam in omnibus S. Thomæ libris clarius reperias, quam ut vel unum ea de re afferri debeat testimonium (1). Itaque satis mirari non potui scriptorem jam commemoratum eo inconsiderantiæ venisse, ut ausus fuerit contendere « omnem apostolorum Patrumque doctrinam de æquali hominum natura a S. Thoma prorsus fuisse ignoratam (2). »

Meminerimus autem velim a S. Doctore sententiam Aristotelis in libro *De regimine Principum*, remota quavis annotatione, fuisse sæpius expositam, necnon antiquam de captivis agendi rationem relatam ab historico, cui nullam de his servis in animo erat instituere disputationem. Res enim per se patet. « Lex humana, « ait, non sine ratione sic statuit ad acuendum bella- « tores pro republica fortiter pugnandum, ut videlicet « victi subjiciantur victoribus jure quodam, quod Phi- « losophus in prædicto loco justum, legale appellat (3). » Constat igitur morem antiquum quosdam apud populos vigentem a S. Thoma fuisse commemoratum, qui de illa consuetudine jampridem exstincta disserere supervacaneum arbitrabatur.

Quid autem de Bossuetio dicendum? Eadem enim apud illum, iisdemque fere verbis exprimitur sententia (4).

(1) 2ª 2ᵃᵉ, q. CIV, art. V, concl. II. Dist. 44, q. 1, art. 3. Comment. in Job, CIII, lect. 2.

(2) Janet, t. I, p. 431 et 432.

(3) *De reg. Pr.*, lib. II, cap. X.

(4) Bossuet, *Avertissements aux Protestants*, V, n. L.

Ex pactionibus tanquam ex unico fonte Jurieu contendebat oriri mutuas consuetudines, quibus sponsus et sponsa, parentes et liberi, domini et servi utuntur; istam vero doctrinam Bossuetius in prædicto loco redarguendam suscipit. Quamobrem sua ducit argumenta ex ipso jure quo antiquitus victores valebant, et ex ipsa lege, qua jus qualecumque servis auferebatur; verbisque Jurieu re confutatis, pactionem demonstrat servum inter atque dominum nec confectam fuisse, nec potuisse confici. « Servus enim, ait Bossuetius, nullo prorsus jure « fruitur, nisi domino placuerit. In lege illud reperire « est : servus caput non habet, res habetur, non autem « persona; quapropter nullo jure nulloque bono po- « titur. »

Leges belli apud veteres populos hac voce horrenda contractæ fuerant : *væ victis;* illos enim manebat supplicium, vel, si mitioribus placeret victoribus, servitus.

Quæ quum ita sint, ille maximo versaretur in errore, qui S. Thomam Bossuetiumque antiquæ servitutis fautores arbitraretur; cum ratione pugnat ea sententia. Omnes enim norunt Ecclesiam nihil antiquius habuisse, quam ut dominos ad clementiam hortaretur, servorumque conditioni provideret, et præterea S. Thomam atque Bossuetium inter doctores ejusdem Ecclesiæ quum virtutibus tum ingenio præstantissimos annumeratos fuisse. Inde apertius sequitur ex hisce philosophis clarissimis utrumque, temporibus diversis, diversam tantum in paucis professum fuisse doctrinam, alterum vero Aristotelis auctoritate, Scriptura sacra et ratione, alterum solummodo sacris codicibus innixum.

CAPUT X.

Utrum regimen temperatum in sæculo decimo tertio exstiterit?

Priusquam nostrum opus absolvatur, in animo est inquirere utrum regimen illud optimum, quod, si S. Thomæ creditur, rege, optimatibusque et populo constat, usquam terrarum in sæculo decimo tertio exstiterit, an res tantummodo videatur egregie excogitata.

Ab historicis accipimus regnum, in media ætate, summa potestate caruisse, certisque fuisse obnoxium conditionibus; quædam igitur ea de re juvat referre testimonia.

Quis regum auctoritatem cum libertate subditorum conjunctam ipso obsequii jurejurando non fateretur?

Theobaldus quartus, comes Campaniæ clarissimus, ea animi magnitudine juravit in verba Philippi Augusti, ut totam hujusce sacramenti orationem putem commemorandam.

« Ego Theobaldus..., etc., notum facio universis me

« super sacrosancta jurasse clarissimo domino meo Phi-
« lippo, illustri Francorum regi, quod ei, sicut *domino*
« *meo ligio,* bene et fideliter serviam contra omnes ho-
« mines et feminas, qui possunt vivere et mori, et quod
« ei non deficiam de bono et fideli servitio, quamdiu ipse
« mihi faciet rectum Curiæ suæ, per judicium eorum qui
« me possunt et debent judicare : et si forte, quod absit,
« de bono et fideli servitio deficerem domino Regi, quam-
« diu ipse mihi facere vellet et faceret rectum Curiæ
« suæ per judicium eorum, qui me possunt et debent
« judicare; dominus Rex *sine meffacere posset assignare*
« ad quidquid teneo de eo, tamdiu tenere in manu sua,
« donec id esset emendatum ad judicium Curiæ suæ et
« eorum qui me possunt et debent judicare; et omnes
« homines mei quorum juramenta receperit dominus Rex
« de *conventionibus istis observandis* adhærebunt domino
« Regi contra me, et eum juvabunt donec id fuerit
« emendatum ad judicium Curiæ suæ et eorum qui me
« possunt et debent judicare..... Actum anno gratiæ
« millesimo ducentesimo vicesimo (1). »

Nemo est qui nesciat apud Hungarios anno MCCXXII *Bullam Auream* ab Andrea secundo fuisse prolatam, qua maximæ promittebantur immunitates, et ibidem a principe regnum jamjam adepturo talia fuisse proclamata : « Episcopi ceterique optimates mihi meisque successoribus admonitiones, si officio defuerimus, jure irrogabunt obsistentque *sine nota infidelitatis.* »

Apud Anglos, rex Joannes (2) qui majorum libertates

(1) Chantereau Le Febvre, *Traité des fiefs et de leur origine,* Paris, 1662, in-fol., *Preuves*, p. 115.

(2) Jean Sans-Terre.

conabatur delere, anno MCCXV *Chartam Majorem* concedere coactus est, illaque verba profiteri : « Quod ba-
« rones eligant XXV barones de regno nostro, quos vo-
« luerint, qui debent, pro totis viribus suis observare,
« tenere et facere observari, pacem et libertates quas
« eis concessimus, et hæc præsenti charta nostra confir-
« mavimus, ita ut, quod si per nos vel justitiarium
« nostrum erga aliquem in aliquo deliquerimus, vel ali-
« quem articulorum pacis vel securitatis transgressi fue-
« rimus et delictum ostensum fuerit IV baronibus de XXV
« baronibus; illi IV barones accedent ad nos et ad justi-
« tiarium nostrum, si fuerimus extra regnum, et pro-
« ponentes nobis excessum, petent ut sine dilatione
« faciamus emendari. Et si nos excessum non emenda-
« verimus (vel justitiarius noster, si fuerimus extra re-
« gnum), inter tempus XL dierum, computando a tem-
« pore quo monstratum fuerit nobis, prædicti IV barones
« referent causam illam ad residuos de illis XXV baro-
« nibus; et illi barones, cum commune totius terræ,
« distringent et gravabunt *in modis omnibus quibus*
« *poterunt,* ut per captionem castrorum, terrarum pos-
« sessionem et aliis modis quibus potuerint, donec emen-
« datum fuerit secundum arbitrium eorum : salva per-
« sona nostra, et reginæ nostræ, et liberorum nostrorum.
« Et cum fuerit emendatum, intendent nobis sicut prius
« fecerunt. »

Rex igitur coram suis subjectis se nulli ex officiis defuturum sacramento confirmabat; deinde, vassalus regi fidem suam obstringebat, auxiliaque sive in bellis sive in litibus (1) pollicebatur. Itaque, quoddam hisce

(1) Les plaids.

sacramentis fœdus conficiebatur, ex quo mutuum obsequium mutuaque officia oriri solebant, ipsaque forsan vox hujus regiminis (1). Principem imitatus, ipse dominus coram suis vassalis eadem jurabat; nihilque baronem potentissimum a suis subjectis fas erat expostulare, nisi quod mores prædii permiserant.

Multa insuper in promptu habeo exempla, quibus manifestum est summam regum potestatem temperato regimine ita fuisse coercitam, ut regnum principi pactionem violanti haud immerito videretur auferendum.

In concione apud Forckheim anno MLXXVII habita, domini atque episcopi Germaniæ de molesta Henrici quarti tyrannide his verbis queruntur : « Præterea liberi « homines Henricum eo pacto sibi proposuerunt in re- « gem ut electos suos juste judicaret et regali providentia « gubernare satageret..... Nonne quilibet miles (2) do- « mino suo juramento fidelitatis subjicitur eo pacto, ut « ille sibi non deneget quod dominus militi debebat. »

« Si ergo dominus, aiunt Saxones, militi debitum red- « dere contemnit, numquid non libere miles eum pro « domino recusat habere? Liberrime, inquam; nec hujus « modi militem infidelitatis vel perjurii quis accusabit, « quum totum impleverat quod promisit (3). »

Eidem doctrinæ assentiebantur Aragoniæ optimates, qui sua regi jamjam eligendo talia solebant profiteri : « Nos, qui non minoris quam tu sumus, pluris autem quando congregati, regem atque dominum eligimus,

(1) Fédoalité.

(2) Chevalier.

(3) Paulus Bernried. — Vita S. Gregorii VII (*Patrol. lat.*, édition Migne, t. CXLVIII.

« si legibus, si privilegiis, si moribus (1) nostris pares; « si non, non. » Ego quidem non sum nescius hæc verba quosdam apud scriptores in dubium venisse; quis autem haud immerito contenderet eadem cum moribus, indole, legibusque Aragonum antiquissimis non consentire; quippe qui magnanimitate et libertatis studio jampridem præclari, etiam nunc pro lege morem habeant, majorumque jure utantur. Legimus enim in *Foro Judicum* veterum Wisigothorum : « Rex eris, si recte facis; si non facis, non eris (2). »

In prædiis quoque morem illum reperire erat, et memoriæ proditum est in *Beneharno* huic ademptam fuisse vicecomitis dignitatem, qui omnia non servabat subjectorum privilegia.

Minimis in prædiis eadem occurrebant; mos *Fumelensis,* qui, ut ceteri, in sæculo decimo tertio, litteris mandatus fuit, imperium abrogabat domino, nisi cuncta jura excoleret atque servaret.

Nihil enim in Jure germanico explicatius, quam illa de amittendo principatu sententia, quæ tamen sic congustata fuit : « Imperatorem in bannum declarare nemo « potest, nisi Papa. Hoc non facere debet, nisi ob tres « causas. Una est, si imperator a fide orthodoxa dubi- « taret; altera, si ab uxore diverteret; tertia, si Ec- « clesias destrueret (3). » Qui suam igitur fidem, qui mores, qui Ecclesiæ libertatem prodebat, anathemate primum configebatur, et, anno elapso, nisi ad meliorem mentem voluntatemque converteretur, ipso destituebatur

(1) Coutumes.

(2) *Forum Judicum. De electione principum*, tit. I, § 1.

(3) *Speculum Suevicum*, cap. XXIX.

imperio. Non ita plane, quum rex imperialem peteret coronam, ad comitem palatinum deferendus erat. « At « si antea (quam coronatus est) contra episcopum aut « *alium* aliquid agit, tum primo loco ad comitem pa- « latinum debet deferri, qui inde ad archiepiscopum « suum rem defert, qui potest ipsum in bannum de- « ferre (1). »

Illud igitur maximi momenti apud Imperatores habebatur, ut nemo summo Pontifice humilior de semetipsis judicium valeret pronuntiare; jus enim commune in eo erat ut principes, qui, vita omni intemperantiæ addicta, gravissime deliquerint, *ipso facto et absque Sedis Apostolicæ judicio* sua potestate dejicerentur. Quapropter, voces illæ, *sibi providere de rege, pactum, fidelitas,* quæ sæpius a S. Thoma usurpantur, sæculumque redolent decimum tertium, non ad quædam attinent rarissima, sed regimini communi eo tempore vigenti accommodatæ videntur. Ubi igitur reges inter et populos oriebantur disceptationes, christiana societas ad summum Pontificem libentius confugiebat, quo nullum arbitrum existimabat præstantiorem neque prudentiorem; ille enim, ut in alio hujusce opusculi capite dictum est, auctoritati aliorum, aliorum vero libertati studio providebat maximo.

Memoriæ etiam proditum est non modo regimen temperatum in media ætate viguisse, sed quam plurimas etiam immunitates, quarum libet commemorare præcipuas, civitatum, inquam, prædiorum, vicorum, feudorumque proprias; sua cuique ordini privilegia, sua cuique liber-

(1) *Speculum Suevicum*, cap. XXIX.

tas, quam gentes Anglo-Saxoniæ ex antiquo jure retinuerunt, appellantque *selfgovernement.*

Vetustissimas patet esse urbanas immunitates; jampridem enim magistratus ab ipso civitatum populo electos testantur Capitularia. Animadvertendum autem velim eam libertatem, qua gloriabantur nostri majores, ab episcopis primum tutoribus, deinde civitatum dominis propugnatam, in dies adolevisse et processisse plurimum.

Si Legibus Hierosolymitanis (1) creditur, ipsi cujusdam ordinis medii cives a tempore antiquissimo multis fruebantur immunitatibus; nam christiani, aula urbanorum juxta baronum aulam instituta, in Orientem mores patrios transtulerant.

Omnes enim norunt quanta potentia, durante media ætate, valerent Italica municipia, quantoque decore in publicis *Conventibus* (2) jamdudum considerent civitates Castillæ, Leonis et Aragoniæ, Morum (3) suorum gratia libertati assuefactæ. In meridianis Galliæ regionibus plurima occurrebant municipia, quorum in sola Provincia (4) sexaginta erat reperire. Quæ quidem etiam in Gallia septentrionali nullatenus deerant; civitas Remensis, ne alias commemorem, orta cum archiepiscopo disceptatione, mores ab antiquissimo S. Remigii tempore servatos vehementer expetebat.

Immunitatum, de quibus dissero, adeo crevit numerus, ut haud multo post in ipsis vicis easdem esset repe-

(1) Assises de Jérusalem.

(2) Cortès.

(3) Fuéros.

(4) La Provence.

rire. In sæculo duodecimo, *Pagus Pontivus* (1), et *Pagu Ambianicus* (2) municipiorum suorum copia jam præstabant. Nullam autem inter leges pernotas clariorem forsan arbitror *lege Bellimontis* (3), quæ ab archiepiscopo Remensi, Guillelmo (4) anno MCLXXXII concessa, in pluribus quam quingentis vicis usque ad sæculum decimum octavum viguit. Quid de *lege Lorrensi* in *Pago Vatisconensi* (5), quam vici observabant innumeri?

In singulis regnis aulam reperire erat, et comitia, quæ variis nominibus nuncupabantur (6). Regis erat his præesse comitiis, rebus disputandis consulere, tractare animos, nedum sua sponte valeret dijudicare controversiam aut negotia conficere. Aulam cujusque ordinis propriam patet exstitisse, ibique, domino præside, incolas prædii fuisse sui juris, exercuisse judicia, morem confirmasse, et si libebat, correxisse in dies atque dilatasse. Imo, in Alsatia, quingentæ rusticorum aulæ (7) florebant, et, in tota Germania, numerabantur tria millia, quæ sui juris erant, præside domino, cujus auctoritas innoxia nihil aliud quam titulus sæpissime videbatur (8).

Quæ quum ita sint, a sæculo duodecimo constat plerosque Galliæ et aliarum regionum incolas eximiis fruitos esse immunitatibus, et multa hic et illic occurrisse

(1) Le Ponthieu.
(2) L'Amiénois.
(3) La coutume de Beaumont.
(4) Guillaume de Champagne aux Blanches-Mains.
(5) Le Gatinais.
(6) Cortès, Corts, Parlements, Diètes, Assises.
(7) Colongères.
(8) L'abbé Hanauer, *Les paysans d'Alsace.*

maximæ libertatis exempla; cui nos hodie nec immerito invidemus; illud testari certant scriptores spectatissimi (1). Nulla igitur fides istis historicis adhibenda est, qui veritatis minime studiosi, inconsiderate de servitute mediæ ætatis disputant. Rem enim servus habebat; et, more favente, sua persona, fructuque laborum potiebatur. Domino quidem censum solvebat, prædii vero fructibus multo minorem, qui necnon alia vectigalia ipso more in perpetuum statuebantur (2). Quapropter ea erat sæpius servorum conditio ut libertate nollent donari, seque pretio vel vilissimo redimere (3). Quid dicam de sodalitatibus, quæ tot et tantis fruebantur immunitatibus? Libertatem igitur patet in quoque civium ordine viguisse, et jura sæpius amplissima.

Longiorem procul dubio res, de qua disserui, desideraret orationem; sed illud satis est, quum regimen temperatum constet in sæculo decimo tertio exstitisse. Undenam autem orta fuerit illa libertas, illique mores optimi, de quibus brevius fuit disputatum? Nihil libertati utilius profuisse manifestum est christiana religione, quæ justitiam, quæ caritatem omnibus prædicabat excolendam, summoque studio enitebatur, ut, domino servoque benevolentia conjunctis, alter patronus, alter vero cliens esset atque haberetur. Moribus insuper favebat diligentius, eosdemque et privilegia a regibus et do-

(1) Boutaric, *Le régime féodal.* Revue des quest. hist., oct. 1875. — Leplay, *Organisation du travail,* 1re édit., p. 78. « Les moindres communes avaient alors une autonomie vers laquelle nos grandes cités n'oseraient aujourd'hui élever leurs pensées, dans leurs plus vives revendications. »

(2) L'abbé Hanauer, *Les paysans d'Alsace.* — Léopold Delisle, *L'agriculture au Moyen-âge.*

(3) Ibidem.

minis propugnabat, potissimumque a juris interpretibus, qui, haud invitis principibus, munus obibant cuivis tyrannidi consentaneum, ipsisque moribus exitiosum. Quid enim mos erat nisi consuetudo a majoribus tradita? Quid moris auctor nisi gens ipsa christiana, sui quidem officii, sed juris etiam studiosa? Quis morem testificabatur nisi cives qui, eumdem optime noscere, qui colere, qui producere suæ utilitatis causa solebant?

Itaque neminem fugit ipso more maximam regum repressam fuisse potestatem, præstantiusque servatas dominorum, civitatumque et agricolarum immunitates. Inde igitur orta est aliena a tyrannide auctoritas, libertasque rerum perturbatione prorsus vacua; et illud exemplo Angliæ confirmatur, quæ se sui juris esse, plurimisque perfrui immunitatibus gloriatur, quod suum regimen hodiernum mediam ætatem redolet, moresque antiquos diligenter excolendos celebrat.

Ne autem dicendo amplificare videamur, animadvertamus necesse est, in media ætate, omnibus confusis penitus atque perturbatis, nullam reipublicæ disciplinam in cunctas Europæ regiones cecidisse; quin etiam in eadem provincia mores non modo diversissimos erat reperire, sed leges nonnunquam inter se plurimum pugnantes. Ab ipsis enim ævi medii historicis accipimus incolas ejusdem regionis hic dura dominatione fuisse oppressos, illic vero maximis immunitatibus præstitisse, quibus et gentes hodiernæ invidere non dubitarent. Illud autem ab omnibus requirebatur (nec nostræ ea de re disputationi alio opus est argumento), ut regalis potestas ab aliqua auctoritate contineretur, nedum immodico posset indulgere imperio et pro legibus uti libidine atque licentia.

CONCLUSIO.

Ex his omnibus colligendum est, ut opinor, ipsam S. Thomæ de principatu doctrinam, ex Aristotele simul et Sacra Scriptura sumptam fuisse, adeoque, in ævo medio, populorum libertati accommodatam, ut hinc principes a tyrannide, illinc a rebellione subditi summopere averterentur. Meminerimus autem velim gentes, durante media ætate, tanto religionem christianam prosecutas fuisse studio atque reverentia, ut, si res postulabat, ad Ecclesiam sponte sua confugerent, qua nullum benignius videbatur præsidium, nullum securius, nullumque præstantius. Illam autem auctoritatem, qua tamdiu, haud invitis populis, valuit Ecclesia, plurimum a theocratia patet discrepasse. Summi enim Pontifices in rebus spiritualibus, non autem in temporalibus, sese interponere solebant, nisi, ortis reges inter et subditos controversiis, ad disceptandum vocarentur. Scriptores quidam Ecclesiæ minime studiosi, qui ejus potentiam omni ope atque opera nisi sunt infitiari, non fateri non potuerunt illam Pontificum auctoritatem publico mediæ

ætatis jure, fide universa, ipsisque legibus maximas apud gentes fuisse confirmatam, populisque plurimum profuisse; nec alio nobis opus est argumento, ut crimina Pontificibus ignorantia odioque sæpius illata redarguantur. Quibusdam enim conditionibus obnoxia erat regum potestas, nec ab illis princeps poterat discedere, quin dignitate sua esset spoliandus; de pœnis, quæ sententiam excommunicationis consequebantur, omnes populos christianos constat consensisse.

Nonne etiam mirum a S. Thoma tot et tantis laudibus celebratum fuisse, in ipsa ætate media, regimen temperatum? Eas autem hujusce regiminis leges statuit, ut quisque pro suo ingenio, pro suis opibus, pro sua auctoritate, in partem rerum gerendarum sit vocandus.

« Perfecta est, ait, socialis congregatio, quando qui-
« libet in suo statu debitam habet dispositionem et ope-
« rationem. Sicut enim ædificium est stabile, quando
« partes ejus sunt bene sitæ, sic de politia contingit
« quod firmitatem habet et perpetuitatem, quando qui-
« libet in suo gradu, sive rector, sive officialis, sive
« subditus debite operatur, ut suæ conditionis requirit
« actio (1). »

Inde non modo intelligere est, quid de principatu sentiret philosophus noster clarissimus, sed leges etiam et consuetudines et studia, quæ in illa ætate vigebant. Si enim fides historicis adhibeatur spectatissimis, constat neque principatum eo tempore fuisse tam immodicum, neque tam raram libertatem, quam plus æquo dictum est, sed principes sæpius potestate valuisse temperata, et cives regni, civitatis, ipsiusque vici in quamdam re-

(1) *De reg. Pr.*, lib. IV, cap. XXIII.

rum gerendarum partem pro suo ingenio suisque facultatibus venisse.

Itaque scriptor quidam celeberrimus fateri non dubitavit libertatem populi, optimatum immunitates regumque potestatem ita apte cohæsisse, ut regimen temperatius nusquam sit reperire (1).

Quid autem plura? Mirari satis non queo illam clarissimam S. Thomæ doctrinam, quæ altissima philosophia Sacrisque Codicibus innixa, a celeberrimis scriptoribus, non in media tantum ætate, sed in omni tempore, prolata fuit; nec immerito quidem, quippe quæ sit veritas perennis, et dignitati principum simul et libertati populorum consulat.

Ex illa tandem S. Thomæ doctrina duo arbitror colligenda, quæ vel in nostrum tempus videntur cadere, scilicet populos, pro suo ingenio et moribus, qualicumque uti posse principatu, et illum principatum quadam potentia cuique tempori accommodata coercendum esse, ne suæ libidini indulgeat modumque excedat.

Vidi ac perlegi :

Lugduni, die vigesima octava mensis Martii 1880, Facultatis Litterarum in Academia Lugdunensi Decanus,

G. A. HEINRICH.

Typis mandetur :

Lugdunensis Academiæ Rector,

Em. CHARLES.

(1) Montesquieu, *Esprit des lois*, lib. XI, cap. VIII.

INDEX RERUM.

		Pag.
Prooemium		7
Caput I.	De illo S. Thomæ opusculo, quod *De regimine Principum* inscribitur, disputatio	11
Caput II.	De origine potestatis ex S. Thoma	21
Caput III.	De variis principatus modis	27
Caput IV.	De modis acquirendi, gerendique et amittendi principatus	35
Caput V.	De virtutibus principis	43
Caput VI.	De fine principis	49
Caput VII.	Quomodo Ecclesia et principes sese mutuo habere debeant?	55
Caput VIII.	De S. Thoma atque Ægidio romano	67
Caput IX.	De S. Thoma atque Bossuetio	75
Caput X.	Utrum regimen temperatum in sæculo decimo tertio exstiterit?	83
Conclusio		93

BARRI-DUCIS, EX TYPIS CONTANT-LAGUERRE.

e regimine
5566

5566.